



Google


WIDENER LIBRARY
HX 6928 %


SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE
45 cts



Analyzed

ANALECTA CRITICA

POESIS ROMANORUM SCAENICAE RELIQUIAS ILLUSTRANTIA

SCRIPSIT

FRIDERICUS OSANNUS

VIMARIENSIS.

INSUNT PLAUTI FRAGMENTA AB ANGELO MAIO IN CODICE AMBROSIANO NUPER REPERTA.

BEROLINI

SUMPTIBUS FERDINANDI DUEMMLERI.

MDCCCXVI.

1861, Nov. 15.
Gray Fund.

45cts.

LECTORI
S. D. A.

Quae te, LECTOR, scire attinet, habeo equidem perpauca: quo libellum huncce scribendi consilium apud te defendam vel tibi commendem, nihil; nonnulla autem sunt tecum communicanda tum de singularum huius libri partium distributione, tum de librorum vel manuscriptorum vel impressorum, quorum usus mihi contigit, subsidiis quamvis exiguis.

Instituenti mihi librum edere, in quo quid de recta scaenicae Romanae poe[illegible] reliquiarum emendandarum vel illustrandarum ratione sentirem, declarare copiosius possem, ut huic litterarum generi, quod a virorum doctorum cura prorsus fere destitutum animadvertebam, opera mea qualicunque aliquid lucis afferretur: oblata subito est opportunitas, vel potius imposita

necessitas, specimen studiorum meorum in litteris collocatorum statim edendi. Quo factum est ut quae fusius aliquanto et ad certum rei iuste dispositae ordinem adstricta exponere in animo habebam, mutato iam consilio arctioribus finibus pro temporis angustiis circumscribenda essent. Dedimus igitur singula capita, quibus exempla rectius instituendae harum litterarum rationis proponerentur magis, quam quibus doctrina ipsa contineretur. Quorum capitum si te, lector, interna passim lateat coniunctio, quam interpositis hic illic rebus, quae aut commodiori loco collocari, aut omitti prorsus debuissent, nonnunquam confiteor me posthabuisse: monendum est tria potissimum argumenta me elegisse, quorum singula exempla in medium proferrentur. Eorum primum est expositio critica Romanae poesis poetarumque historiae adhuc fere neglecta: huc pertinent priora quatuor capita. In sequentibus tribus capitibus Romanorum fabulis cum Graecis exemplaribus conferendis operam dedi, ut quid in poesi dramatica Romanis proprium, quid peregrinum e Graecis fontibus haustum sit, qua-

tenus fieri potest, explicaretur. Postrema denique capita adiecimus, ut crisis in Plautinis comoediis exercendae ratio demonstraretur. Quae his inspersa leguntur rei argumento non semper necessaria, nec tamen prorsus aliena, ea rogo te, lector, ut studio materiae cumulandae iuvenili, quod coerceri se non ubivis patitur, condones benigne. Denique fragmenta Plauti ab Angelo Maio in codice Ambrosiano nuper reperta addidimus, quibus locum hunc datum esse nemo gravabitur.

Inter subsidia, quae enodandis Latinorum comicorum et tragicorum aliorumque scriptorum reliquiis passim adhibuimus, primus nominandus est codex Plauti nitidissime in membrana scriptus, quem perillustris possessor Naglerus, ex intimis civitatis Borussicae consiliis, pro humanitate sua saepius mihi expedendum concessit excerpendum: cui viro grates, quas debeo maximas, non possum non palam profiteri. Complectitur liber, de cuius aetate decernere ego non ausim, priores octo comoedias. Hoc cum codice concinit fere, quamvis non omnibus locis, alius membranaceus Monacensis, eas-

dem fabulas continens, cuius varietates usque ad Asinariam Gottholdus Lenzius Gronoviano Plauti exemplari quondam adscripsit, cuius inspiciendi Vimariae adhuc versanti mihi Ludovicus Lenzius gymnasii director meritissimus pro liberalitate sua copiam fecit. Idem esse videtur codex, quo etiam Bothius usus est Monacensi. Usui denique fuere ad emendandum Plautum autographa Fr. Volg. Reizii locis aliquot mihi laudata, quae liberalitati in me impensae debeo Fr. Aug. Wolfii, qui quantum in studiis me adiuverit, grato animo sentiri magis, quam declarari verbis potest.

Terentio adhibui tres Berolinenses codices in bibliotheca regia asservatos, quos usurpavit Bothius: cf. eius praef. ad Ter. p. IV; sed id more suo tam negligenter, ut futuro Terentii editori horum codicum excerpendorum taedium denuo subeundum sit. Alteri horum codicum membranaceo praefigitur cum vita Terentii fere edita epigramma hoc non admodum facetum, quod transscripsimus:

"*Natus in excelsis tectis Carthaginis altae*
Romanae ducibus belli a praeda fui."

Descripsi mores hominum iuvenumque senumque,
Qualiter et servi decipiant dominos:
Quid meretrix, quid leno doli consingat avarus.
Haec quicunque legit, sic puto cautus erit.

Id eadem manu scriptum est, qua totus codex. Prope finem liber est lacer: unum exscissum esse videtur folium post Phorm. 5, 7, 55.: pergitur 5, 8, 22. Ad calcem scriptum inveni: *Scripsit Benedictus cum nomine Felix.* Alter membranaceus hoc multo praestantior est, glossis margini adspersis instructus nonnunquam sane utilibus. Tertius denique est papyraceus, quem olim Fabricius in possessis habuit.

Emendandis tragicorum maxime locis non sine fructu contuli Nonii Marcelli codicem Guelpherbytanum, cuius variantes vir clarissimus Io. Gottlobus Schneiderus Saxo ad exemplaris Merceriani alterius oram diligenter annotavit, quod Francofurti ad Viadrum in bibliotheca gymnasii custoditum amicus mecum communicavit. Semel alio eiusdem Nonii exemplari, quod in bibliotheca regia Berolinensi servatur, ad Ennii locum ex Medea emendandum usi sumus, in cuius margine Ezech. Spanhemius

varias codicis lectiones quamvis raro, allevit. Vide quae diximus cap. VI. p. 119. Placet capitum Nonii indicem, qui in aversa tituli pagina adscriptus est, hoc loco addere, quum vulgata capitum inscriptio hinc aliquoties emendetur. *Ex veteri codice* notata a Spanhemio haec sunt:

Index earum litterarum, quae hoc codice continentur, Nonii Marcelli, peripatetici, Tiburgicensis, de compendiosa doctrina per litteras ad filium.

De proprietate sermonum.
De inhonestis et nove veterum dictis per litteras.
De differentia similium significationum in propriis.
De contrariis generibus verborum.
De mutata declinatione.
De numeris et casibus.
De mutatis coniugationibus.
De indiscretis adverbiis.
De doctorum indagine.
De genere navigiorum.
De genere vestimentorum.
De genere vasorum vel poculorum.
De genere calceamentorum.
De coloribus.

Monendum denique de Reuvensii *Collectaneis litterariis* Lugduni anno proximo in lu-

cem emissis, quae, quum Analecta nostra typis partim iam descripta essent, ad nos tandem allata sunt: quod si prius esset factum, nonnulla reliquissem intacta, quae Reuvensius ex parte explanavit et emendavit. In singulis autem quum a Reuvensii sententia discedendum passim nobis esse visum sit, quae nos commenti sumus iis quoque in locis, in quibus nostrum iudicium consentit, noluimus supprimere, ut quod utrique eodem fortasse temporis spatio in mentem venerit, neutri eriperetur. Ac ne licuit quidem hanc libelli particulam rescindere, quum quae amplissimo huius universitatis philosophorum ordini speciminis loco ad summos in philosophia honores impetrandos oblata erant, eadem typis ad verbum exprimenda essent, quo illorum iudicii exstaret documentum. Igitur ne verbo quidem mutato omnia, ut erant scripta, typis mandavimus, iis, quae cum Reuvensio disputanda nobis essent, in notas reiectis.

Restat ut apud te, lector, excusem genus scripturae veterum poetarum locis a nobis adhibitae recentius, quod ii reprehendent, qui dum scripturae constantiam affectare student, incon-

stantiae vitio ipsi laborant. Nos vulgari scribendi genere tamdiu utemur, donec quid Livii Andronici, Ennii, Plauti aetate usitatum fuerit, habuerimus exploratum. Tantum erat. Vale, lector, mihique fave.

Scribebam Berolini mense Augusto exeunte MDCCCXVI.

CONSPECTUS CAPITUM.

APPENDIX.

CAPUT PRIMUM.

De Livii Andronici vita disputatur.

Circumspicienti mihi caussas, quibus factum sit ut scriptoris, qui ad provehendam Latinam poesin et linguam, litterasque excolendas tantam primus fere vim habuerit, reliquiis et aliorum scriptorum de eo testimoniis tantopere destituti simus, ea informata est sententia, si plura de LIVII ANDRONICI vita et scriptis indicia, vel etiam plura ipsius operum fragmenta aetatem nostram tulissent, id nobis magis etiam mirum, nec sine fraudis suspicione videri debere. Primum enim si quis seculi, quo vitam degerit Livius, ingenium probe perpenderit, neminem facile concedet, nisi qui corporis viribus et fortitudine ceteris excelluerit, ab aequalibus cuius merita ab ipsis memoriae proderentur dignum esse habitum; eius vero memoriam, qui poeseos vi, artis Romanis tum non modo incognitae fere, sed etiam post Livium opprobrii et dedecoris plenae atque abiectae visae, (vide ex multis locum Ciceronis Tusc. disp. 1, 2.), feros hominum mores et animos emollire studuerit, non potuisse magnopere ab aequalibus laudari, nec posteris tradi. Quid? quod etiam

Romae fabularum actores tanta apud omnes vixerunt infamia, ut qui hanc artem profitebantur, pro infimis ac vilissimis hominibus haberentur; Livius autem Andronicus, ut ea aetate solitum, fabularum suarum idem scriptor et actor. Livius 7, 2, 8. *idem scilicet, id quod omnes tum erant, suorum carminum actor*, a quo profecit Valerius Max. 2, 4. extern. 4. Evanthius de tragoed. et comoed. *Latinae fabulae primo a Livio Andronico scriptae sunt ad cunctas res* [fortasse *ad cantores* voluit], *cum etiam tum recentius idem et poeta et actor fabularum suarum fuisset.* Adde Festum v. *Scribas.* Tum externa vitae ex conditione, qua gavisus est Livius, satis intelligitur, nullam omnino notitiam eius vitae, antequam is captus Romam delatus esset, ad nos pervenire potuisse, nec Romanos captivum ideoque fere odiosum ut extraneum, postea libertum factum, licet idem omnes arte poëtica praecesserit, licet is primas Romae fabulas docuerit, magni facturos fuisse, quum praesertim constet, ludos musicos apud Romanos tanto in honore habitos non esse, quin ipse vel pugili in scaena actor fabularum cedere interdum debuerit. Vide Terent. Hecyr. prol. 4. alt. prol. 26. 31. Horat. Epp. 2, 1, 185. Schol. Cruquii ad 2, 1, 193. Nec cultiori post Romanorum litterarum aetate maioris Livius aestimatus esse videtur, quum eius de arte scaenica et tota poesi merita poetis eius vestigia sequentibus oblitterarentur; quo factum ut ubi de principibus Romanae tragoediae et comoediae apud veteres sermo esset, is a quo omne poeseos Latinae principium pependerat, ne nomine quidem laudaretur. Confer Cic. de fin. 1, 2. Academ. [illegible] Terentius Andr. prol. 17.

Qui quum hunc accusant, Naevium, Plautum, Ennium
Accusant, quos hic noster auctores habet,
Quorum aemulari exoptat negligentiam.

Quamquam hic parum hoc sincere: nam in Eunuch. 3, 1, 36. Livii dictum manifeste suum fecit, quod liquet ex Vopisci Numerian. 13. iam animadvertente Lindenbrogio. Etiam Volcatius Sedigitus libro, quem de poetis scripsit, Gellio 15, 24. laudatus, ubi praecipuos Latinae comoediae auctores enumerat, Nostrum plane omisit. Sed ipsum hoc Volcatii de poetis comicis iudicium adscribimus, quo aliquot scripturae vitia abstergeantur:

Multos incertos certare hanc rem videris,
Palmam poetae comico cui deferant.
Eum meo iudicio errorem dissolvam tibi,
Ut contra si qui sentiat, nil sentiat.
Caecilio palmam Statio do comico.
Plautus secundus facile exsuperat ceteros.
Dein Naevius, qui ferret pretium tertium.
Si erit, quod quarto detur, dabitur Licinio.
Post insequi Licinium facio Atilium.
In sexto sequitur hos loco Terentius.
Turpilius septimum, Trabea octavum obtinet.
Nono loco esse facile facio Luscium:
Decimum addo caussa antiquitatis Ennium.

Quod v. 1. pro vulgata *vidimus* dedimus, e Gronovii coniectura fluxit satis probabili, quum omnes codd. *videmus* praebeant, concinentibus quoque duobus Plauti codicibus, ad quorum calcem hoc Volcatii iudicium affixum est, membranaceis, altero biblioth. regiae Monacensi, altero Berolinensi, Nagleri. In quo utroque codice Monacensi et Berolinensi

id videtur notandum, hoc de comicis iudicium e *Nigidii* libro de poetis laudari. — V. 4. *qui* pro *quis* correxi propter vulgarem illius aetatis usum, quem etiam Ciceroni post alios vindicaverunt Heusingerus ad Offic. 1, 32, 1. Goerenzius ad legg. 2, 20, 49. Acad. 2, 26, 86. Heindorf. ad libr. de N. D. 2, 33, 86. 3, 38, 91., ubi recipi debuerat *iratus aliqui-deus.* Eadem corruptela Acad. 2, 19, 61. occupavit, ubi nuper adhuc editum *sive deus aliquis, sive natura.* In Tusc. 1, 11, 23. haud scio an non recte legatur *deus aliquis viderit.* De *si qui* Ciceroni usitato conf. Rhunken. ad Rufinian. de fig. 7. p. 201. — V. 6. *secundus* Graeco usu dictum ut *δεύτερος* pro *τὰ δεύτερα φερομένῳ*, Aelian. V. H. 2. 41. Boeckh. de Tragic. Graec. princip. p. 36. — V. 7. quod Gronovius ex mendosa vulgata *servet* et *fervet* legendum eruit *ferret*, amplexus verbum *est* auctoritate codd. Nagleri et Monac. omisi. *Ferre pretium* proprie pro *auferre*, *accipere primas* dici, ostenderunt Graevius ad Cic. pro Rosc. Amer. 31. fin. Drakenb. ad Liv. 26, 2, 4. Huschk. ad Tibull. 1, 1, 20. p. 10. Adde Plaut. Poen. prol. 15. De verbi *φέρεσθαι* usu hac potestate medii Valckenarius ad Theocr. 1. 11. parum circumspecte iudicavit, refutatus eiusmodi locis, veluti Parrhasii Epigr. 1. (Brunck. Anal. V. 2. p. 60.)

Γνήσιον Ἑλλήνων πρῶτα φέροντα τέχνης.

Quod denique v. 10. Gronovius *sequitur* edidit, codicibus Nagl. et Monac. *loco* perperam omittentibus firmatur.

Neque eas fabulas, quas Cicero fortasse vel ob

earum indolis tenuitatem in Brut. 18, 71. *non satis dignas, quae iterum legerentur*, immo *delendas* Horatii aequales (vid. locum eius Epp. 2, 1, 69. a Magno Anglorum critico frustra turbatum) iudicaverunt, mihi persuadeo, tenebris ereptas posteriori tempore denuo actas esse. Illud enim aevum, quo scripsit Andronicus, a recentiori Ciceronis et Caesarum tempore, sive spectes linguae Latinae rationem, sive ipsum seculi ingenium, tanto opere distulit et abhorruit, ut Livianae fabulae Augusti aequalibus non modo non placere, sed ne omnibus quidem locis intelligi potuerint. Id vero, quod ne Ciceronis quidem aetate Livii fabulas adhuc actas esse diximus, si potest, aliquo argumento confirmandum est. Tria laudantur fragmenta ex fabula *Equo Troiano*, de cuius auctore, quum nonnisi duobus locis poetae nomen idque duorum quidem diversorum auctorum indicatum sit, ita ambigitur, ut Scriverius utrique, Livio et Naevio, eadem fragmenta tribuat, Gerh. Vossius Castigat. in Vet. trag. fragm. p. 2. utrius haec fuerit fabula difficile dictu esse censeat. Uter autem auctor fuerit, multum nostra interest scire, quum hanc fabulam (cuius argumentum ex Graeca huius nominis, unde Latina expressa, narrare videtur Hyginus fab. 108.) Ciceronis aetate actam esse pateat ex eius Epist. ad fam. 7, 1, 8., ubi de ludis scaenicis modo Romae editis Marrio refert: *Quid enim delectationis habent sexcenti muli in Clytaemnestra? Aut in Equo Troiano cetrarum tria millia.* Sic locum edidit Cortius ex ingeniosa Graevii coniectura: multo tamen praestat vulgata *crateras.* Nam tria millia craterarum in pompa triumphali,

quae in ipsa fabula ducebatur [1]), pretiosarum, quam cetras portari, rei ni fallor convenientius est, ac praesidium nonnullum nancisci videtur defensa vulgata ex incerti poetae fragmento apud Marium Victorin. p. 2587. Plotium p. 2650. ex Attilio Fortunat. p. 2679. a Bentleio Respons. ad Boyl. p. 274. Lips. correcto:

Ferunt pulchras crateras, aureasque lepistas,

quod etsi metro Saturnio constet, ex fabula, de qua agitur, desumptum esse haud dubito, persuasus Livii et Naevii tempore Saturnium metrum nondum ita obsolevisse, quin in dramate, et in melicis quidem, cum audientium applausu usurpari potuisset. Atque hoc metro in comoediis Naevium adhuc usum esse, docet fragmentum eius apud Gell. 6, 8. emendatius infra afferendum, quod ex comoedia aliqua non potuit non esse depromptum. Vel Varronem hunc versum in Eumenidibus adhibuisse Hermannus libro de metris vernacala linqua scripto p. 230. sagaciter suspicatus est. Ut redeam, Cicero *Equo Troiano* saepius in proverbium utitur, non sine huius fabulae, ut videtur, allusione: confer. 2 Philipp. 13. pr. Muraen. 37. de orat. 2, 22, 49. 2 Verr. 4, 23, 77. Livium autem fabulae auctorem clare indicat Nonius p. 475, 20. ed. Mercer. alt. *Livius Equo Troiano*:

---

1) Errant qui de spectaculo ipsi fabulae actioni ad spectatorum oculos tantum delectandos praeposito cogitent. Nam qui sexenti muli in Clytaemnestra spectabantur, ex Agamemnonis Troia redeuntis pompa procul dubio erant, aurum, vestes pretiosas, vasa, crateras gestantes, ut in Aeschylea Agamemnone, unde Clytaemnestrae Attianae argumentum videtur petitum, simile quid factum suspicari licet.

da mihi
Haece opes, quas peto, quas precor, porrige,
Opitula.

Sic distribuendus locus et legendus cum Hermanno l. l. p. 83.: pro *porrige*, quod e cod. Vatic. Gebhardus Lection. Antiq. 2, 22. protulit, *corrige* mendose antea vulgabatur. Naevium vero fabulam illo modo inscriptam Macrobius Sat. 6, 1. p. 437. Pontan. perhibet edidisse. De duabus eiusdem tituli fabulis diversorum auctorum cogitare, vetat Cicero Epist. ad Fam. 7, 16. ut de una eademque omnibus nota loquens: *in Equo Troiano scis esse in extremo: Sero sapiunt* scilicet *Phryges*, quod supplet Festus v. *Sero*. Res eo igitur redit, ut Nonii et Macrobii locis utrum auctoris nomen, Livii Naeviine restituendum sit decernatur: qua in re non diu, credo, haesitabis, qnum ea, quae de Livio in universum a nobis delibata sunt, memineris, si praesertim cogites, nulla nec facilius, nec saepius in antiquis libris nomina confundi, quam LIVIUS, NAEVIUS, LAEVIUS, cuius permutationis accumulare nuuc abstineo exempla. Insolentiorem recordor, quae invasit Nonium p. 231, 30. Merc., ubi *Lucillius Andronicus* pro *Livius Andronicus*. Etiam animadverti debet, illo Nonii loco paucis versibus post memorari Livii Odysseam, quam quum librarius conspiceret, eidem auctori etiam Equum Troianum facile censebat tribuendum. Etiam ENNII et NAEVII nomina interdum a librariis commutari, quum rarius occurrat, uno exemplo illustrabo satis luculento. Isidorus Orig. 1, 25. p. 837. ed. Godofred. citat: *E[illegible]ius de quadam impudica:*

... *quasi in choro pila*
Ludens datatim dat se et communem facit,
Alii adnictat, alium amat, alii tenet manus:
Est occupata, alii pervellit pedem,
Alii dat annulum spectandum, a labris
Alium invocat, cum alio cantat: attamen
.. *aliis digito litteras* . . . .

Sic fragmentum hoc, in quo admissos saepius hiatus alio loco defendam, refingendum, maximam partem ex Festo v. *Adnictat*, ubi citatur idem fragmentum ex *Naevii Tarentilla*: ac Naevium scripsisse *Tarentillam* comoediam, testantur permulta Charisii loca, quae adscribere omnia nunc taedet. Patet certe Isidori loco *Naevii* nomen male *Ennio* cessisse, quamquam etiam Wielandius ad Horat. Epp. T. 2. p. 90. ed. pr. Ennii nomine illud fragmentum laudet. Simili coruptela laborare videtur Planciades Fulgentius Expos. sermon. antiqu. v. *Friguttire*, ubi *Ennius Celestide comoedia*, quae nihili est. Plurima pars veterum editt. *Alcestide*, quae lectio cur adhuc posthabita sit, non exputo. Sed Ennius neque *Alcestin* fabulam, neque comoedias scripsit: restituendum hinc nomen LAEVII, cuius *Alcestis* memoratur a Gell. 10, 7. ibiq. intpp. Hinc Mercerum in Non. p. 161, 16. recte *Laevius* pro *Naevius* legendum suspicatum esse patet, modo ne *Alcestide*, quod antiquis editt. legitur, expulisset; utrumque servandum videtur, *Alcestide carmine*, quum haec Laevii *Alcestis* non comoedia fuisse videatur, licet ineptus Fulgentius putaverit, si quidem lectio vera est.

Omnibus his a nobis prolatis argumentis, quae magis indigitari, quam confirmari poterant, id certe

evictum esse videtur, Livii apud aequales non magnam fuisse, neque esse potuisse famam vel memoriam, quum eruditiores inter Romanos et litterati, veluti Ateius philologus, Cicero, Volcatius Sedigitus, Varro quantulamcunque propagabant, satis iam sibi visi fecisse, quum in historiarum libris primam Romae fabulam opera et studio Livii Andronici actam esse seculis venientibus tradebant. Neque alio sensu quam antiquitatis caussa Livium Quintilianus Instit. 10, 2, 7. censuit commemorandum.

Iam ipso disputationis limine diutius ne immoremur, praemonendum est, Andronici ex priori vitae parte ad nostram usque cognitionem nihil plane pervenisse, eosque qui aliquid scire se dicant, hallucinari [2]). Qui eius fuerint parentes, quo anno, qua vitae denique conditione is natus sit, non magis constat, quam qua patria urbe oriundus sit, nisi forte ex eo, quod Tarenti a Romanis captus esse feratur, eum Tarentinum quoque fuisse colligere velis, non sine aliqua veritatis specie, quum eum qui Romae non sine applausu partes in scaena agere sciverit, easdem Tarenti quoque artes antea exercuisse probabile, immo necessarium sit, eaque quidem in urbe, in qua artem scae-

2) Exstat de Livio Andronico liber *Sagittarii* rarissimus, quem Koepkius prolegom ad Conversion. Plauti Comoediar. T. 1 p. XLIX. in bibliothecarum recessibus frustra adhuc a se quaesitum narrat. Ideo eius libri, quamquam magis magisque eum dilitescere nemo qui norit deplorabit, titulum apponere placuit integrum: *Casparis Sagittarii, Luneburgensis, commentatio de vita et scriptis Livii Andronici, Naevii, Ennii, Caecilii Statii, Pacuvii, Attii, Attilii, Lucilii, Afranii, M. Porcii Catonis. Altenburgi.* M. DC. LXXII. 8. Complectitur libellus decem et centum paginas.

nicam propter ingentem civium cupiditatem spectacula frequentandi magnopere floruisse atque excultam imprimis esse constet. Conf. Heynii Opusc. T. 2. p. 226. Plaut. Menaechm. prol. 29. seq. Haec tamen divinare tantum licet, non pro certa re venditare cum Iacobsio in Additament. ad Sulzeri Theor. A. L. Tom. 1. p. 6. quasi in explorata re argumentis supersedente afferendis. De parentibus eius coniecturae si locus datur etiam audacissimae, quid si eius avum dicam Andronicum illum tragoedum, a quo Demosthenem in arte gestus agendi ferunt institutum esse? Vide de eo Athen. 13. p. 584. et ad h. l. Schweighaeus. Animadv. T. 7. p. 155. Photii Bibl. 1. p. 1473. ed. Schott., e quo loco patet Ciceronem, quum in Brut. 38, 142. responsum, quod ab Andronico Demostheni quaerenti datum est, ipsi Demostheni tribuat, memoria falsum esse. Sed haec quoniam mera coniectura nituntur, admodum incerta sunt. Graecum natione Andronicum fuisse praeter ipsius nomen *Andronici* locus fortasse docet apud Festum paullo fusius examinandus. Voce *Solitaurilia* haec leguntur: *Nomen antiquae consuetudinis per unum L enuntiari non est mirum, quia nulla tunc geminabatur littera in scribendo: quam consuetudinem Ennius mutavisse fertur, utpote Graecus Graeco more usus, quod illi aeque scribentes ac legentes duplicabant mutas et semivocales et liquidas* 3), ubi quin *Livius* pro *Ennius*

---

3) Postrema verba *et liquidas* insititia censeo, ac desunt *et semivocales et liquidas* in Festi edit. Marchantii, quae 1519. forma maxima Parisiis prodiit. Dividuntur enim a Grammaticis consonantes litterae tantum in *mutas* et *semivocales* auctore Quintilian. 1,

corrigendum sit, non dubito. Primum enim offendit Ennium, quum Rudiae 4) eius patria diu ante eum in Romanorum potestatem venerint, *Graecum* dici, quem Suetonius de ill. gramm. init. nonnisi *semigraecum* appellare ausus sit, quum praesertim eum Romani Romanae linguae ac poeseos patrem uno ore omnes praedicent glorienturque, etiam a Graeis Italicorum scriptorum numero vindicatum. Dionys. Hal. Antiq. Rom. 1, 34. Εὔξενος δὲ ὁ ποιητὴς ἀρχαῖος καὶ ἄλλοι τινὲς τῶν Ἰταλικῶν μυθογράφων, ubi iam Sylburgius unius codicis egregiam lectionem Ἔννιος pro Εὔξενος, scriptoris nomine inter poetas Italicos inaudito, exhibentem praestare vidit. De Euxeno enim Pythagoreo, Apollonii Tyanei praeceptore (Philostrat. vit. Apollon. 1, 7.) cogitare temporis ratio vetat. Alterum argumentum, quod ad confringendam Festi lectionem fortius valebit, eo cernitur, quod litteras, quae antea simpliciter efferenda fuerint, primus et Graeco quidem more geminasse Ennius tradatur, quem contra docemur mere

---

4. 6., quibus subiiciuntur, ut inferior semivocalium ordo, *liquidae*. Isidor. Orig. 1, 4. p. 821. Ac Festus v. *Torum* de eadem re: *Nam antiqui nec mutas, nec semivocales litteras geminabant.*

4) Rudiis Ennius natus, non Rudiae: illa enim Calabriae urbs *Rudiae* ubique audit. Perperam igitur *Rudiam* apud Hieronym. in Chron. Euseb. ad. ol. 153, 4. Eadem corruptela olim in Plin. H. N. 3, 16. obtinebat, quam Vossius ad Melam 2, 4. p. 220. ed. Franeker. 1700. eluit. Conf. Strab. 6. p. 314. Xyl. (cap. 3. §. 5. T. 2. p. 295. ed. Siebenk.) ἐκβάντες δὲ πεζεύουσι συντομώτερον ἐπὶ Ῥοδίων [sic partim ex Siebenkeesii coniectura Ῥοδίων pro Ῥωδαίων ut mox §. 6. Ῥοδίαι pro Ῥωδαῖαι] πόλεως Ἑλληνίδος, ἐξ ἧς ἦν ὁ ποιητὴς Ἔννιος. Stephanus Byz. ῬΟΔΑΙ [legendum ῬΟΔΙΑΙ] πόλις Ἰταλίας. Τὸ δὲ ἐθνικόν, Ῥοδιάτης [sic].

Latinum genus scribendi adhibuisse. Cic. or. 11, 36. *Ennio delector, ait quispiam, quod non discedit a communi more verborum.* 48, 161. *Burrum* 5) *semper Ennius, nunquam Pyrrhum.*

Ut patefecerunt Bruges 6),

non Phryges, ipsius antiqui declarant libri: ne-

---

5) Sic recte iam in Verburgi editione exhibitum: Ernest. perperam *Purrum.* Scaurus p. 2252, 27. *B cum P etiam consentit, quoniam origo eorum non sine labore coniunctione revelli a quoquam potest. Graeci* Πυῤῥίαν, *nostri Byrriam et quem Pyrrhum, antiqui Burrum.* Conf. Spalding ad Quintil. T. 1. p. 72. Columu. ad Ennium p. 58. ed Hessel. Heusing. ad Mall. Theodor. de metr. p. 26. Glossa antiqua in Sinneri Catalogo Codicum Biblioth. Berneus. p. 392. edita: *B, P cognatio est. Nam pro Burro dicimus Purro* [sic pro *Pirro*]. Fest. *BURRUM dicebant antiqui, quod dicimus rufum.* Hinc emendes corruptam Isidori glossam p. 5. ed Godofred. *Birrus, rufus* et aliam in Excerpt. Pithoean. p. 54. ed. Godofred. *Birtus, rufus,* πυῤῥός. Grammatico incerto in Godofred. Grammaticorum corpore p. 1400, 3. *Burra calore dicta* patet restituendum esse *colore.* Cf. Lips. ad Tacit. Ann. 13, 14. Cellar. Orth. Lat. T. 2. p. 107. Harl. Salmas. ad Vopisci Carin. 20. T. 1. p. 862. ed. Lugd. Haec litterarum permutatio inde orta esse videtur, quod Dores et Aeoles pro Π dicebant B, indeque Macedones pro Φ etiam B. Bentl. de epist. Phalar. p. 446. Lips. Conf. Maittair de Dial Gr p. 148. 368. ed. Sturz. Patet hinc etiam servum illum in Terentii Andria non *Pyrrhiam,* ut novare volebat Bothius ad. Ter. p. 436., sed *Byrrhiam* audire, nisi potius *Burriam,* mutato Y in U (Bentl. ad Horat. Epp. 1, 15, 5.) et deleta adspiratione, de qua conf. Priscian. 1. p. 548. Cic. orat. 48, 161. Cassiodor. de orthograph. 1. T. 2. p. 608. A. ed. Garet. Isidor. Orig. 1, 4. p. 822, 9. Drakenb. ad. Sil. Ital. 4, 597.

6) Herodot. 7, 73. Οἱ δὲ Φρύγες, ὡς Μακεδόνες λέγουσι, ἐκαλέοντο Βρύγες [sic pro Βρίγες] χρόνον ὅσον Εὐρωπήϊοι ἐόντες σύνοικοι ἦσαν Μακεδόσι. Μεταβάντες δὲ ἐς τὴν Ἀσίην, ἅμα τῇ χώρῃ

que enim Graecam litteram adhibebant. Et grammaticae auctores a Latinis antiquis, hoc est tradente Quintiliano 1, 5, 21. tragoediarum praecipue (adde *comoediarum*) scriptoribus, aetatis, qua florebant, more litteras consonantes non geminatas esse uno consensu affirmant: quam rem ita habere, lapides quoque antiqui satis docent. Sed notandum, quod neglexerunt Grammatici, totam rem non nisi ad syllabas natura longas pertinere. Operae pretium visum est ipsa eorum apponere loca. Isidor. Orig. 1, 26. pag. 840, 18. *Sic et ubi litterae consonantes geminabantur, superponebant sicilicum, ut sela, sera, a s e r e s* [sic]. *Veteres enim non duplicabant litteras, sed supra sicilicos apponebant, qua nota admonebatur lector, geminandam esse litteram. Et S i c i l i c u s, quia in Sicilia inventus est primo* 7).

καὶ τὸ ὄνομα μετέβαλον ἐς Φρύγας. Strab. 7. p. 295. Xyl. (c. 3. §. 2. T. 2. p. 342. ed. Tzschuck.) *καὶ αὐτὰ δ' οἱ Φρύγες Βρύγες εἰσί,* ubi Tzschuckius Βρίγες ex mendosa Eustathii auctoritate defendere studet. Conf. Valcken. ad Herodot. 6, 45. Nomen *Brugum* recurrit in eiusdem Ennii Achille fabula apud Cic. pro Rosc. Amer. 32, 90. eodem modo scribendum, ubi Ulysses fugae dedecus ab Aiace exprobratum his excusare studet:

Quis ibi non est vulneratus ferro Brugio.

Sic editur vulgo locus, quem Planckius ad Medeam p. 114. ac novissimus editor Schützius, apud quem vel *Phrygio* receptum, repetiverunt. Transponendum *vulneratu'st.* Ad hanc Ennii fabulam, quae ex Scholiis Anonymi Graeviani praestantissimis ad h. l. Ciceronis ad Verr. 1, 18. primum innotuit, etiam illud *ut patefecerunt Bruges* commode possit referri.

7) Acriter notandus est magistelli error cum *sicili* [sic omnino vox scribenda, quum forma *sicilix*, uno tantum loco apud Fes-

pra litteram, quam geminari oportebat scilicet[?]; *Sicilicum* [nescio utrum Victorino an librario hic in voce error imputandus et *Sicilem* legendum sit: recurrit tamen idem vocabulum *Sicilicus* etiam p. 2468, 7.] *imponebant, cuius figura haec est* . . . [9]), *quod erat signum geminandi, sicut adparet in multis adhuc veteribus ita scriptis libris.* Vides enim clare ibi scribi *Anius*, non *Anio*, ut in Festi loco, quia voces *Anius, Luculus* pro exemplis consonantium nondum geminatarum afferuntur: quod in Festum non cadit. Et fac omnia in Festo sana atque integra esse verba, dummodo scribas, quod tum necessarium, *Enio, Ario, Anio*, stabit quod evincere tanto opere studebam, Ennium consonantes nondum duplicasse. Tota autem res conficitur Quintiliani testimoniis, 1, 7, 14. *semivocales non geminare diu fuit usitatissimi moris: atque e contrario usque ad Attium et ultra porrectas syllabas geminis, ut dixi, vocalibus scripserunt*, et mox 21. *atqui paulum superiores* [Cicerone] *etiam illud, quod nos gemina S dicimus, iussi, una dixerunt.* Atque Ennii aetate litteras nondum esse geminatas, docet aes eodum tempore inscriptum, quod de Bacchanalibus continet senatus consultum, ubi constanter reperiuntur *Ese, Adesent, Habuise, Compromesise, Iousisent*, alia. A Terentii aetate et ultra semivocales geminari coeptaem esse videntur, si quidem verum est quod Donatus ad Terent.

antiq. v. *Ramentum* ex *Quinti Fabii Luculli epico carmine* citat *Vilissimum ramentum, proluviosa pestis.*

9) Nusquam reperio huius signi figuram traditam. Fingere eam tibi posses fortasse ex Festo *SICILICES* [leg. *Siciles*], *hastarum spicula lata.*

rent. Hecyr. prol. alt. 14. parum accurate narrat: *Geminavit M secundum antiquos, qui omnes in verbis liquidas duplicabant.* Etiam P. Aurelium Opilium hac scribendi ratione usum esse, colligitur ex eius vita apud Sueton. de clar. gramm. 6. ubi haec: *Huius cognomen* [Opilii] *in plerisque indicibus et titulis per unam litteram* [scil. L] *scriptum animadverto; verum ipse per duas effert in parastichide libelli, qui inscribitur Pinax.*

Omnia haec usque a nobis prolata quum recogitas, Ennii nomen vel cuiuslibet scriptoris antiqui a supra apposito Festi loco alienum esse concedes, neque Ennium Livio cedere debere negabis, quum Andronicum, Graecum hominem, Latinae linguae ex vernacula immiscuisse nonnulla ratione satis iam liqueat, et vere constet e Festo: *DACRYMAS pro lacrymas Livius saepe posuit; nimirum quod Graeci appellant δάκρυα. Item* [fort. *idem*] *dautia, quae lautia dicimus et dantur legatis hospitii gratia.* Postrema haec admodum suspecta sunt. 10) Huc pertinet

10) Verba ipsa omni corruptionis suspicione vacant: sed sunt adeo obscura, ut ipse Grammaticus aliquid fraudis commisisse putandus sit. Graecum enim vocabulum desideratur per Δ inchoans, a quo vox *lautia* mutata posthac littera D in L originem ducere potuerit. Quod afferunt Interpretes, etiam Salmasius, Exerc. Plinian. p. 612. E. δῶτια, omni caret auctoritate. *Lautia* recte hoc loco dici nemo dubitare potest: cf. Oudend. ad Apulei. Met. 3, 60. p. 223. et Duker. ad Liv. 28, 39, 19., ubi Dodwellus, qui Festi loco Titum Livium historiarum scriptorem intelligi volebat, iure refutatur. Symmachus Epist. 4. 56. *Nam quod sciam Musis in Palatio loca, lautia tu dedisti;* sic ex Rittershusii coniectura Scioppio Susp. Lect. approbata. Sed emendandum, quod necessarium videtur *loca ac lautia,* quum copulam omittere Livio historico quidem, non item Symmacho liceat: vide Drak. ad Liv. 42, 26, 5.

Marius Victorinus p. 2470. *Apud antiquos dinguam et linguam, et dacrimis et lacrimis.* Mox est et communio cum Graecis: nos *lacrimae, illi δάκρυα* etc. Huc referenda Varronis quoque verba de L. L. 4, 1. *Annon potius mea verba, illa quae hereditate a Romulo rege venerunt, quam quae a poeta Livio relicta?* Jam si *Livius* pro *Ennius* mecum reposueris, omnia bene cohaerent: Livium consonantes ex usu antiqui temporis non geminatas primum duplicasse, quod qui eum secuti sint scriptores, utpote vulgari Latinae linguae usu imbuti reiecerint, idque Graecum eum Graeco more fecisse; quem inter Graecos usum Andronici tempore longe iam per vulgatum fuisse, multis demonstrari potest.

Livii nomen a Marco Livio Salinatore hero, cuius liberos erudiverit, Graecis suspicor litteris, Nostrum accepisse indeque Livium esse appellatum, testatur Hieronymus in Euseb. Chron. ad olymp. 148. his verbis: *Titus Livius tragoediarum scriptor clarus habetur, qui ob ingenii meritum a Livio Salinatore, cuius liberos erudiebat, libertate donatus est,* quem, qui de Livio scripserunt, auctorem secuti sunt omnes, Sigonius ad Liv. 27, 37, 9. Wetzel. ad Cic. Cat. Mai. 14, 13. Planck. ad Ennii Med. p. 29. Jacobs. in Additam. Sulz. l. l. Quo indicio ego quoque subsistendum putavi, missa nunc disceptatione non solum ampla, sed etiam tam intricata, ut expediri vix queat, utrum Andronicus a Marco Livio Salinatore libertatem et nomen adeptus sit, an Gaio Livio Macato, quem Livius historiarum scriptor an Marcum recte appellet, ab eius interpretibus dubitatur: vide Dukerum ad 25,20, 3. *Marcus* audit praefectus arcis Tarentinae etiam apud Plutarch.

vit. Fab. Max. 23. Apophthegm. 5. Eundem praefectum Cicero Salinatoris quoque cognomine, perperam ut nonnullis videtur, veluti Sigonio ad Liv. 27, 25, 5., auget: utrumque ut diversos duos Liviae gentis primus distinxit Wesselingius Observat. 2, 5. Quaeri tamen potest, an iure Cicero reprehendatur, quum postquam ille Livius Salinatoris cognomine ornatus esset, idem aliis quoque ex gente Livia inditum sit. Cic. Cat. 3, 7. *quae C. Salinator, quae Sp. Albinus, homines consulares, nostri fere aequales.* Nescio an in Plutarch. vit. Sertorii 6. (p. 571. C. ed. Frcf.) φράγνυται τὰ Πυρηναῖα ὄρη διὰ Ἰουλίου Σαλινάτωρος ἑξακισχιλίους ὁπλίτας ἔχοντος restituendum Λιουίου Σαλινάτωρος, itemque mox in sequentibus, quum Salinatoris cognomentum Liviorum tantum fere fuisse videatur proprium. Liv. 35, 24. *C. Livius et L. Oppius; utrique eorum Salinatori cognomen erat:* sic corrigendum iam ad 1, 1, 4. Gronovius viderat; cf. 29, 37, 5. Ita Livium dicere solere docuit Drakenb. ad 7, 12, 6. Eandem nominum Ἰουλία et Λιουΐα confusionem Lipsius ad Tacit. Annal. 4, 3 annotavit.

Sed etiam de M. Salinatore illo tota res admodum incerta est, quoniam unica Hieronymi, quem in Andronici calculo falli docebimus, auctoritate nitatur. Quem produxit Scriverius in testimoniis de Livio Andronico locum ex Suetonii de clar. poet. libro: *Et Livius a Livio illo appellatus est* fateor frustra me adhuc quaesivisse. Adde, quod Andronicum Salinatoris liberos erudivisse tradit Hieronymus, cum M. Livii Salinatoris historia conciliari vix posse, quum hic, quem anno 566. u. c.

cum M. Valerio Messala collega consulatum egisse scriptores confirment, liberis vixdum iam gavisus esse eo tempore possit, quo Andronicus eius liberis erudiendis operam navare potuerit. Nam Nostrum parum simile est veri fabulas publice docuisse, antequam libertate donatus esset; atqui hanc gratiam tum demum, quum de illius liberorum eruditione meritus esset, ab hero impetravit. Quod igitur Andronicus ab Hieronymo traditur nomen a M. Livio Salinatore accepisse eiusque liberos erudivisse, vides quam infirmum ac sublestae fidei sit testimonium.

Eorum, qui Livii nostris temporibus mentionem passim iniecerunt, non defuere, qui eius nomini etiam praenomen Latino more adderent. Scriverius et Funccius de adolescent. ling. Lat. *VI. Lucium* Livium Andronicum exhibent. Vossius de hist. Lat. 3, 12. p. 827. „Antiquissimus eorum Livius Andronicus, sive ei praenomen Tito, ut est in Hieronymi Chronico, sive Marco, ut ibidem Scaliger adnotavit, sive Lucio, ut ego censeo.“ Hunc sequitur Köpkius dissert. de dramate Romanorum, ante Conversion. German. Plauti T. I. p. *XLVIII*. Tantopere docti inter se discrepant, nullo caussam, nec fontem huius praenominis monstrante. Unde *Titi* fluxerit, apertum: nemo autem non intelligit, hoc praenomen a Tito Livio historiarum scriptore sumptum esse, quod utrum Hieronymi lapsui, an scribae sedulitati debendum sit incertum est. Qui *Lucium* eum volunt appellari, auctoritatem, credo, ab aliquot veterum locis petunt, ubi reperiatur *L. Livius*, veluti Gell. 17, 24. 7, 8. Cassiodor Chron. T. 1. p. 383. ed. Garet. Festo v. *Surregit*. Sed quoniam id eius praenomen fuisse non posse mox patebit, hanc Lucii no-

minis notam ex sequenti littera L in *Livio* non male mihi videor suspicari esse ortam. Ad *Marci* praenomen delatis iam nobis id ferendum est iudicium, Andronici, cui si praenomen statuamus fuisse, idem esse deberet, quo is, a quo libertatem nactus sit, praeditus fuerit, quum libertos heri praenomen quoque cum nomine assumpsisse satis constet [11]): fasti autem et historiarum scriptores Salinatori praenomen fuisse *Marco* omnes confirmant. Sequitur igitur, Livio si fuerit praenomen, fuisse *Marci*. Quum vero tot veterum locis, quibus Livii nominis mentio fit, nullum praenominis vestigium appareat, illis, qui corrupti sunt, exemptis, eo adducor, ut Andronicum cum heri nomine praenomen non accepisse statuam. Idem fere sensisse suspicor Carolum Sigonium de nominib. Roman. p. 1418. (in Godofr. corpore Gramm. Lat.) brevissime scribentem, Livium Andronicum a M. Livio Salinatore appellatum esse, non adiecto Marci praenomine, de quo loquitur. Vide

---

11) Hinc defenditur Suetonius vita Terentii 1. *P. Terentius Carthagine natus servivit Romae Terentio Lucano Senatori*, ubi Gronovium pro *Lucano* sagaciter *Culleoni* coniecisse annotavit Wolfius. Sed fallitur Gronovius. Unde enim Terentius Afer poeta Publii praenomen accipere potuisset, si Terentio Culleoni, cuius Praenomen *Quinti* fuisse testantur Livius 30, 43, 12. 45, 5., servivisset? Verissimum est, quod auctor Terentianae vitae de Terentio Lucano tradit, quum ei praenomen fuerit *Publio*, unde suum Terentius poeta, eius libertus, accepit. Conf. Pighius Annal. Rom. T. 2. p. 347., qui etiam in MS. suo huius vitae Suetonii ante *Terentio Lucano Senatori* praenominis notam *P.* se reperisse testatur: quae codicis lectio non spernenda erat. Hinc dubito an in Plin. H. N. 35, 33. *C. Terentio Lucano* recte legatur, si quidem is idem est, ut videtur.

an hic nulli, quod sciam, antiquitatum Romanarum interpreti adhuc annotatus mos, ex quo libertini libertinaeque uno heri nomine, aut ipso nomine, aut praenomine augeri satis duxerint, etiam aliunde confirmari possit. Rem ita habere, multis ex inscriptionibus colligitur, ubi liberti unum tantummodo nomen praeter Graecum conspicitur. Lapis inter Marm. Arundel. ed. Maittair. *XCVI.* p. 40.

D. M.
BALERIA. THEODOTE. FECIT. AVR
ELIO. ALEXANDRO. AVGVSTOR
VM. LIBERTO. BENE. MERE
NTI. ET LIBERTIS. LIBERTABV
SQVE. POSTAERISQVE. AEORVM.

Gruter. Inscr. *DCXXIV.* nr. 6.

HYMNVS CAESARIS
VOLVSIANVS
HERMOPHILI HYMNI LIB. F.
DECVRIO LARIVM VOLVSIANORVM

Fabrett. Thes. inscr. cap. 2. nr. 210.

D. M.
FLAVIAE CHRYSIDI
CONIVGI BENE MER
VIXIT AN. *XXXX*
BROMIVS CAES. FECIT
ITE ET SIBI SVIS LIB. LIBG.
POSTQ. EOR.
H. M. A. H. N. P.

Huius marmoris versus 6. ita scribendus esse videtur: SIBI ET SVIS LIB. LIBQ. Donat. Thes. inscript. T. 2. p. 327.

DIS. MANIBVS
CORNELIVS. EVTYCHVS. AVG. LIB
A. SOLO. FECIT. SIBI. ET
SVIS. LIBERTIS. LIBERTABVS
QVE. POSTERISQVE. EORVM
H. M. H. E. N. S.

ibidem pag. 328. et Gruter. Inscr. *DCXI*, 7.

DONATVS. AVG. LIB. ET
ANNIA. PRIMITIVA. HANC
SEDEM. FRVCTVM. LABORIS
SVI. VIVI. SIBI
POSVER.

Huc nescio an etiam Persii 5, 78. verba sint referenda:

Verterit hunc dominus: momento turbinis exit
Marcus Dama.

Inscriptio in sepulcro familiae Augustae reperta et a Piranesio in libro *Antichità Romane* Tom. 3. pag. *XXXIV.* edita:

DAMA. LIVIAE. L. CAS
PHOEBVS. PHILOLOGI

Adde Syrum mimorum scriptorem, adde Phaedrum, utrumque libertum uno Publii praenomine appellatum esse. Quid? quod idem etiam in liberis civibus factum videmus, ut antiquiori tempore modo tria, modo duo assumerent nomina. Cassiodor. de oratione 1. T. 2. p. 543. a. *Meminerimus autem non necesse esse ista quatuor* [praenomen, nomen, cognomen, agnomen] *propriorum generum nomina simul inveniri. Aliquando enim unum ex his invenimus, ut Romulus: aliquando duo, ut Anicius Marcus* [scrib. *Marcus Anicius*]: *aliquando tria, ut Lucius Cethegus Catilina: aliquando quatuor, ut Publius Cornelius Scipio Africanus.* Cf. Sigon. l. l.

p. 1401. Jure igitur nos quidem, donec aliquis locum, ubi *Marci* praenomen Andronici clare expressum indicaverit, Andronico Marci praenomen praeponere abstinebimus.

Primum et fere unicum quidem quod ex eius vitâ exstat testimonium apud Cic. Brut. 18, 72. reperitur, incertum et ipsum ac sublestae fidei, quamquam Viri docti de argumenti huius veritate minime adhuc dubitantes, ad unum omnes Livium Tarenti expugnatione captum esse a Romanis perhibuerunt. Nam Ateii calculum, ex quo Livius Q. Fabio Maximo, quintum consule, Tarenti captus esse constituatur, a Cicerone iure refutari atque annum, quo Livius primam Romae docuerit fabulam, ad priora tempora recte restringi, capite tertio evincetur. Tota narratiuncula de Livio Tarenti expugnatione capto fere ut fabula concidere videtur, nisi id considerationi relinquitur, utrum Cicero simul quum Fabio consule Livium Tarenti captum deneget, eum omnino Tarenti non esse captum scribere, an priori tempori, quo Tarentum a Romanis primum subactum sit, reservare putandus sit. Et sane quod posteriori loco posui, e Ciceronis verbis suspicari licet, quae aliter intelligenda aegre docerer, quia hoc nobis erepto indicio tota de Livii patria disputatio, quamquam ea satis iam tenebris offusa sit, penitus tolleretur. Quum autem mecum posueris, quod tamen pro certissimo venditare non ausim, Livium Tarenti expugnatione aliqua captum esse: quaeritur, quo tempore id factum sit, et utra ab Ateio significata sit Tarenti expugnatio. De illa Q. Fabio Maximo consule facta quum capite tertio evidenter demonstratum sit sermonem esse non

posse, quia incidat in annum 545. [12]), intelligenda restat sola ea expugnatio, qua Tarentum a Romanis L. Papirio Cursore et Sp. Carvilio Maximo coss. a. u. c. 482. [secundum Petavii rationem: Pighius indicat a. 481.] primum captum est. Igitur si iam statuatur, Andronicum hac occasione captum indeque Romam delatum esse, atque ex Ciceronis cal-

---

12) Heynium enim in Opusc. Acad. T. 2. p 229. hunc expugnati Tarenti annum breviter indicantem secutus sum. Pighius ad annum, qui illi praecedit, referens fallitur, quia quod Tarentum a. 541. ad Hannibalem defecisse et M. Livium praefectum arcis Tarentinae per quinquennium locum usque obtinuisse Livius 27, 25. scribit, certum esse videtur. Non possum non obiter è Floro eandem rem tractante locum 2, 6, 42. *Tarentus ad nos redierat* contra Salmasium ad h. l. eademque ad Tertullian. de pall. p. 205. repetentem defendere, qui quum in duobus codd. Palat. reperisset *Tarentus*, insolenti hac nominis forma offensus, corrigi volebat *Tarentinus*. Hac enim potestate equidem contenderim vocem *Tarentinus* plane ab hoc loco alienam esse, persuasus singularem nominis populi numerum nonnisi ubi sensus ad ipsius hominis, maxime militis, notionem restringatur, pro purali poni posse, quod exempla satis docent, partim collecta a Gronov. et Drakenb. ad Liv. 3, 2, 11. Heinsio ad Vellei. 2, 1, 3. Evidens adde ex Liv. 27, 16, 1. *non vigore aut corporis viribus par Romano Tarentinus erat.* Nec ferendum, si totam loci Flori complexionem tenes, iudicabis gentis nomen inter media civitatum, quamquam hoc per se quo offendat, nihil habet. Conf. Burmann. et Ruhnken. ad Vellei. 2, 40, 1. Reiecto igitur Salmasii com[illegible]to recte mihi videor Floro *Tarentus* vindicare, quia form[illegible] 1, 18, 2. Mela 2, 4. Silius Ital. 12, 434. Sidon. Apollinar. [illegible]5. Frontin. Strateg. 3, 3, 6. usi sunt. Eustath. ad Dionys. Perieges. 376. ἡ Τάρας, ἢ καὶ Ταρεντὸς, ἐγγὺς κεῖται ἁλός. Simili modo Τίρυνς et Τίρυνθος forma variat, quam posteriorem ex Hesiod. Scut. Herc. 81., corroboratam Stephani Byzant. auctoritate h. v. εἰς τόπον, Τίρυνθόντε. ὤφειλε δὲ Τιρύνθαδε, ὡς πρὸς αἰτιατικήν, expellere se posse putabat Ruhnkenius Epist. crit. 1. p. 102. ed. alt. Versus Hesiodi ita corrigendus:

culo circa a. 514. ferme primam edidisse fabulam: eum est manifestum aut admodum adolescentem Romam venisse, quod parum veri videtur simile, quum eum qui Romae fabulas non solum scriberet, sed ipse etiam ageret, alibi iam has artes edoctum exercuisse necesse sit, quod in tanta adolescentia vix poterat fieri, aut eum aetate longe iam provectum, plus quam quinquaginta annos et supra natum Romae fabulas edidisse, id quod non sine exemplo est, si senem Roscium in scaena adhuc partes suscepisse memineris, quod testatur Cicero de legg. 1, 4, 11. *ut quemadmodum Roscius, familiaris tuus, in senectute numeros in cantu ceciderat*: sic Goerenzius recte pro inepto *cecinerat* edi iussit, dummodo *ceciderat* non a *cado*, sed a *caedo* derivandum esse dixerit. Non opus igitur Hermanni de *cantico in Romanor. fabul.* p. XII. coniectura *leniverat*, sat audaci. Ac si senem fere Andronicum fabularum suarum partes egisse fingimus, melius quod eum a populo in scaena saepe revocatum vocem obtudisse narrat Livius 7, 2. conciliari posse videtur. Tota vero haec res ita comparata est, ut illi Ateii apud Ciceronem testimonio non multum esse confidendum appareat. Id certe usque tenebo, Livium Romam

---

Ἦλθε λιπὼν Τιρύνθου ἐϋκτίμενον πτολίεθρον.

Hanc formam ipse Scholiastes inedit. tuetur, quem citat Ruhnkenius. Usus in ejusmodi nominibus omnino ambiguus fuisse videtur, veluti in *Terenio* (loco in campo Martio, Burm ad Ovid. Fast. 1. 501. Dacer. ad Fest. h. v. Rutgersii V. L. 4, 10), quod apud Martial. 4, 1, 8. *Terentus* audit. Sed vide an Romanorum *Terentum*, ut Graecorum, *Tarentum* potius scribendum sit, quum utrique vocabulo idem apud Graecos nomen Τάρας, ne dixerim, eadem fuerit origo.

migrasse Tarento, quod quo casu acciderit, certo nemo expediet.

Pauca restant de Livii Andronici vita monenda. Anceps est et obscurum Suetonii de ill. Gram. initio indicium: *Grammatica Romae ne in usu quidem olim, necdum in honore ullo erat; rudi scilicet ac bellicosa etiam tum civitate, necdum magnopere liberalius disciplinis vacante. Initium quoque eius mediocre exstitit: si quidem antiquissimi doctorum, qui iidem et poetae et oratores semigraeci erant (Livium et Ennium dico, quos utraque lingua domi forisque docuisse adnotum est) nihil amplius quam Graeca interpretabantur: ac si quid Latine ipsi composuissent, praelegebant. Nam quod nonnulli tradunt, duos libros de litteris syllabisque item de metris ab eodem Ennio editos esse, iure arguit L. Cotta, non poetae, sed posterioris Ennii esse, cuius etiam de augurandi disciplina volumina feruntur.* Suetonius his verbis si voluit docere, Romae Livium artis grammaticae magistrum se esse professum, vereor ne ineptierit: haec enim publica disciplinae litterarum professio, non Liviani, sed multo recentioris aevi est. Atque ex Romanis qui praelegenti ei aures libenter praebuerit vacuas, fingi vix potest. Quae Casaubonus ad explicandum locum attulit, non magis cuiquam arbitror placere posse quam eam rationem nonnullorum virorum doctorum, quos inter Planckius ad Enn. Med. p. 30., verba *quos utraque lingua domi forisque docuisse* de fabularum actione tam publica quam privata intelligentium. Horum enim opinio ipsis Suetonii verbis accuratius examinatis facile refutatur. Suetonius hoc indicio plane falsus esse videtur, cui frau-

di fuisse suspicor, quod Livium Salinatoris liberos erudivisse, traditum repererit. Ac de Ennio, qui cum eiusdem nominis grammatico Varroni de L. L. 4, 15. extr. laudato confusus est, istorum sententiam ipse cum L. Cotta reiecit.

Quem usque ad annum Noster vitam produxerit, incertum. Sed adolescentiae tempus apud Romanos trigesimum usque ad annum obtinuisse quum ponimus, ex Cic. de senect. 14, 50., ubi Cato Maior sex (vel septem) annis antequam Livius primam fabulam edidisset, se natum, ac Livium senem, qui *ad eius adolescentiam processerit,* etiamtum vidisse ait, suspicari licet, Andronicum a. u. c. 540. non superasse.

CAPUT SECUNDUM.

Hexametro dactylico heroo Q. Ennium primum esse usum demonstratur.

Correctionem superiori capite Festi loco a nobis adhibitam ne dicas temerariam, singulari exemplo placuit fusius ostendere, LIVII et ENNII nomina a librariis vere commutata esse. Diomedes 3. p. 480. *Epos latinum primus digne scripsit is, qui res Romanorum XIIX complexus est libris, qui et Annales inscribuntur, quod singulorum fere annorum actus contineant, sicut publici Annales, quos Pontifices scribaeque conficiunt de Romanis, quod Romanorum res gestas declarant.* Ita in Putschiana leguntur[1] haec verba, negligenter, ut saepissime, descripta. Qui hunc Diomedis locum laudant, *Livius* pro *is* vulgant, nescio an librorum MS. auctoritate nisi. In Ascensiana Diomedis a. 1516. editum est *Livius is qui* etc.; sic ed. Coloniensis a. 1533. quoque, quae mox pro *res* non male *gesta* habet. Sed omnes falluntur. *Ennius* corrigendum esse dudum vidit Gerh. Vossius de Hist. Lat. 1, 2. p. 6.: ac quod vir ille primarius coniectura adsecutus erat, ita fere legi in codd. nonnullis, *scripsit Ennius*

is qui testatus est Gronovius ad Gell. 17, 21. Sed quod Vossius obiter monuit, argumentis adhuc comprobandum posteris reliquit, quum praesertim qui ipsius sententiae obloquerentur, reperti sint, veluti Dacerius ad Festum v. *Stirpem*, speciosis magis more suo, quam veris pro Andronico historiarum scriptore argumentis pugnans.

Primum enim Livio Andronico, libertino, Graeco homini atque histrioni Pontificum scrinia patuisse, unde qua Annalium liberos componeret, rem petiverit, incredibile fere est. Sed ne hoc argumento quidem opus est, quum aliud idque gravissimum suppetat, quo tota res uno veluti ictu conficiatur. Fac quod Diomedes epos, hoc est libros annalium scripsisse Livium dixit, verum esse, Livio in pangendo hoc carmine epico epicum metrum, hoc est hexameter dactylicus, necessario adhibendum erat: ac quae feruntur horum Annalium Andronici nomine fragmenta, de quibus mox dicetur, sunt sane metro dactylico epicae poeseos proprio composita. Igitur si Livii annales hexametris scriptos esse constat, eo ipso evincitur argumento, hos annalium libros epicos eius, cuius praedicentur, esse non posse. Nam Q. Ennius multis annis post Livium Naeviumque poetas, qui, quum genus epici carminis quoddam, alter Graecam Odysseam in Latinam convertens, bellum Poenicum primum alter canens, edere auderent, metrum Saturnium etiamtum vulgatissimum usurparunt, versum epicum, hexametrum nomine *longorum* primus e Graecia in Latium transtulit; quam ad rem probandam ipse Ennius auctor est apud Cic. Brut. 18, 71. *Quid? nostri veteres versus ubi sunt?*

. . . . . quos olim Fauni vatesque canebant,
Quum neque Musarum scopulos quisquam superarat,
Nec dicti studiosus erat . . . . . .
Ante hunc . . . .

ait ipse de se; nec mentitur in gloriando. Sic enim sese res habet. Nam et Odyssea Latina est sic tanquam opus aliquod Daedali, et Livianae fabulae non satis dignae, quae iterum legantur: e quibus verbis postremis rectius nunc primum distinctis facile etiam colligitur, Odysseam hanc Latinam, quam Livii Andronici esse mox demonstrabitur, tanquam Daedali opus rudibus primae poeseos conatibus cultiorem quidem, non tamen cum perfectioribus sequioris aetatis exemplaribus ullo modo comparari posse, eam maxime ob caussam, quod Odyssea Latina Livii Saturnio illa aetate fere obsoleto versu constaret. Totum vero hoc Ennii de se judicium aliorum auctorum citationibus suppletum vide in ed. Hessel. p. 7.: operam in eo concinnando perdidit Planckius ad Ennii Med. p. 109.

Sed alia adhuc supersunt veterum testimonia ad confirmandam nostram argumentationem non praetereunda. Isidorus Orig. 1, 37. p. 852, 23. *Hexametros autem Latinos primum fecisse Ennius traditur, eosque l o n g o s vocavit:* sic correxi pro vulgat. *vocat* ex Grammatici anonymi Isidorum ad verbum exscribentis apospasmate pone Mallii Theodori de metris editionem Heusingeri p. 93. Etiam antiquissimus Isidori codex *vocant.* Cic. legg. 2, 27, 68. *incisam ne plus quatuor herois versibus, quos l o n g o s appellat Ennius.* Diomedes 3. p. 493. *Super quas appellationes etiam Latine l o n g u s versus dicitur.* De metro elegiaco haec Isidorus l. l.

p. 853, 12. *Hoc autem apud nos vix constat a quo sit inventum: nisi quia apud nos Ennius eo prior usus est.*

Quod si Ennium hexametro dactylico primum usum esse, idoneis demonstratum est argumentis, eos Livii versus, qui hoc metro continentur Livio aut falso tribui, aut corruptos esse omnes patet. Ac Livii nomine feruntur fragmenta ex Annalium libris et hexametri ex Odyssea: de illis prius dicetur. Festus: *STIRPEM in masculino genere antiqui usurparunt, sero quod est femina femina metaphorice dicentes poetae, quae nunc in familias proferunt genere.* [Omnia haec inconcinna et vitiosa.] *Livius: Tradunt familias quorundam Romanorum Troiana Stirpe ante conditam Romam procreatas. Idem Livius: Ostrimon* [?] *quendam membrant, Graio stirpe exstitisse.* Hinc Dacerius comprobare vult, Livium poetam annales eosque soluta oratione compositos scripsisse atque haec fragmenta ex his Livii libris deprompta esse. Sed huic opinioni nullum in Festi verbis fundamentum continetur: neque opus ea fuse refutare, quae Dacerius de Livii oratione prorsa hallucinatur. Ut meam interponam sententiam, Livii nomen utroque Festi loco ut vitiosum credam magna me commovet suspicio: sed in tanta rei et auctoris obscuritate pristinum auctoris nomen coniectura assequi velle, temerarium iudico, nec multum id eruere refert. Etiam ineptior est eiusdem Galli ad Festum v. *Surregit* delegantis sententia, quo loco accuratius inspecto plane caecutivisse eum intelliges. Non magis mirum, eum in suam rem advocare poetae fragmenta hexametra, quibus Livii nomen praefixum, apud Fest. v. *Quamde,* ubi idem ipse Dacerius ex antiqui codicis

cis vestigiis veram scripturam, ut qua Ennio cedere debet *Livius*, accurate annotavit. Atque haec erant Annalium Liviorum, si Diis placet, fragmenta.

Difficilior et magis anceps est de hexametris, qui ex Andronici Odyssea vulgantur, quaestio, non tamen in eo haerens, utrum sint Livii iudicandi, nec ne, at ea in re valde incerta; utrum versus hi Livii sint, tantummodo metri corruptela laborantes, an alii auctori contribuendi. Primo autem versum huic disquisitioni eximamus Festo s. v. *Nequinont* memoratum et in Andronici fragmentorum collectionibus ita vulgo concinnatum:

Partim errant, neque nunc Graeciam redire nequinont.

In Festi codd. constanter desideratur verbum *nequinont*; inde in *neque nunc* latere vocem egregie suspicatus est Augustinus. Versus ita fit Saturnius mutilo capite.

— partim errant, nequinont | Graeciam redire.

Qui praeter hunc ex Odyssea hexametri laudantur, tres sunt, haud facili negotio ad numeros Saturnios corrigendi. Priscian. 3. p. 606.

Inferus an superus tibi fert deu' funera Ulixes.

Idem. p. 760.

At celer hasta volans perrumpit pectora ferro.

et Idem p. 817.

Cum socios nostros mandisset impiu' Cyclops.

Hos versus ex Odyssea aliqua petitos esse res et ipsum exemplar Graecum docere potest. Livii vero eorum nullum esse posse, cum genus metri, quod

his fragmentis partim inest, perfectius, tum maxime reliqua ex istius Odysseae conservata fragmenta evincunt, quae metro Saturnio constant omnia; quod verbo iam tetigit Scaliger ad Fest. v. *Topper*. Utrum vero Andronici nomini hos versus vetusti fraude grammatici alicuius suppositos esse iudicandum sit, an Livius cum aliarum Odyssearum auctoribus ex ignorantia confusus, an denique Livii nomen librariorum insipientiae debendum sit, ea omnia diiudicatu difficillima sunt: id certe apparet, corruptelam fuisse antiquissimam. Atque Odysseam Livianam cum aliorum auctorum huius argumenti carminibus facile antiquis iam temporibus confundi potuisse, eo fit probabilius, quod hoc Livii opus auctoris nomine non adeo notum fuisse videtur, quin plures aliorum auctorum Odysseae confunderentur, quum Livii Odyssea *Odysseae veteris* titulo sine adiecto auctoris nomine saepius laudetur. Fest. v. *Topper*. Apposito nomine apud eundem v. *Nefrendes*, ubi *Livius in Odyssea veteri*. Needum Ciceronem, si locum ex Bruto supra adscriptum contuleris, ubi *Odyssea Latina* nude appellatur, Andronicum Odysseae fuisse auctorem, dices compertum habuisse. Ac Gellius 18,19. *Offendi enim in bibliotheca Patrensi librum verae vetustatis, Livii Andronici, qui inscriptus est* Ὀδύσσεια. Odysseam vero hanc *veterem* dictam, his locis citatam, Livianam esse docent vel conspicua in fragmentis metra Saturnia, vel locus ex ea Charisio p. 64. *Odysseae veteris* nomine laudatus, quem esse ex Liviana clare pronuntiat Priscianus p. 697. Variat uterque magister in versus lectione, ille autem

Mea puer, mea puer, quid verbi ex tuo ore audio;

hic:

Mea puera, mea puera, quid verbi ex tuo ore profugit.

Voce *audio* ex margine in contextu irrepente expulsum esse vocabulum *profugit*, sponte apparet, ac lectio *profugit* praesidium nonnullum ex Graeco exemplari nanciscitur:

Τέκνον ἐμὸν ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων.

In reliqua lectionis varietate nihil mutandum, quum sua alteruter grammaticus auctoritate nitatur, Charisius Aelii Stilonis et Asinii Pollionis, Priscianus, ut videtur, Varronis, vide Charis. l. l. Utra vero in scriptura ipsius Andronici agnoscenda sit manus, si litem post Varronem retractare fas est, non diu dubitabis, quum alia quoque Livii et Naevii loca a Prisciano memorata repereris, quibus forma *puer* de utroque sexu usurpata sit, huius usus origine a Graecorum *παῖς* ducta. Versus igitur ita refingendus videtur:

Mea puer, mea puer, quid verbum ex tuo ore profugit,

admisso in diaeresi hiatu et vocabulo *puer* pro una syllaba pronuntiato.

Accedit quod multae in antiquitate exstiterunt Latinae diversorum auctorum Iliades et Odysseae, unde Livii nomini versus falso adscribi facile potuisse intelligatur. Eiusmodi fuerunt *Attii, Mattii, Gauri* Iliades, de quibus vide Passovium ad Persii 1, 50. p. 278. Iliadem et Odysseam a Labeone quodam, quem cum Attio eundem Passovius censet, conscriptas esse testatur Scholiastes Persii 1, 4. Quod autem, ut re-

deam, de hexametrorum illorum auctore suspicatus sum, posthac dicam. Restat ut de hexametris ex Livii Inone, Terentiano Maur. p. 2425. laudatis, dicatur:

Sed iam purpureo suras include cothurno,
Balteus et revocet volucres in pectore sinus,
Pressaque iam gravida crepitent tibi terga pharetra,
Dirige odorisequos ad certa cubilia canes,

quos auctori abrogandos, ni fallor, recte vidit Hermannus libro de metris vernacula lingua scripto §. 237. p. 137., etsi etiam Marii Victorini 1. p. 2512. auctoritate, unde primo versu *sed* adscivi, quod etiam Terentiano restituendum, Andronico vindicentur, quod Hermannum fugisse videtur. Hi enim versus, sive metrum spectes, sive dictionem, ita perfecti atque omnibus numeris absoluti sunt, ut eos ante Augusti aetatem compositos esse posse confidenter negaverim. *Laevii* opus esse putabat Scaliger personatus in *Yvonis Villiomari Aremorici in locos controversos Roberti Titii animadversis lib.* 6, 21. p. 125. ed. Lutet. *a.* 1586. Idem Scaliger ibidem cap. 20 Livium Heroica non scripsisse breviter declaravit male refragante Sagittario commentat. de Livio p. 6.

Idem argumentum, quo ad indagandos Andronici ex Odyssea versus spurios usus sum, fragmentis aliquot, quae hexametris dactylicis constant, ex Iliade, Cypria vulgo Naevii auctoris nomine circumlatis adhibendum est, quo etiam hos versus falsum auctoris nomen in fronte ferre, manifestum fiat. Naevium non magis quam Livium, fere aequalem, versu heroo usum esse, testatur illius de bello Poenico primo carmen ac quod de se ipse scripsit epi-

taphium, utrumque metro adhuc Saturnio compositum, hoc Gellio 1, 24. laudatum:

Mortales immortales flere si foret fas:
Flerent divae Camoenae Naevium poetam.
Itaque postquam est Orcino traditus thesauro,
Obliti sunt Romae loquier Latina lingua.

Postremum versum arbitror hoc modo rescribendum:

Obliti sunt Latina Romae loquier lingua.

Non potest enim diaeresis in omnibus huius metri fragmentis observata lex violari, etsi ex Festo v. *Topper* constituit Hermannus l. 1. §. 413. p. 229. alium versum ad hos numeros:

Sunt magnae, topper confringent inoportunae undae.

Sed *sunt* insititium est, ac lectione ita concinnata,

Magnae topper confringent endoportunae undae

numerum ictibus turbatum, quo ego quidem non offendo, ferre si nequis, transpone:

Magnae confringent topper endoportunae undae.

Qui vero Plauti eidem Gellio laudatum epigramma sepulchrale hexametris constans eandem ob caussam in senarios iambicos cogere laborant, ut Pareus dissert. de Plauti vita et scriptis, errant, Plauto praecedere potuisse suis annalium libris Ennium obliti.

Reperiuntur tres ex Iliade Cypria Naevii nomini vulgo a grammaticis, quos bona fide secutus est Wernsdorfius *Poet. Lat. Min.* T. 4. p. 573., adscripti hexametri, quos ab hoc auctore profectos esse non posse demonstratum est. Charis. 1. p. 118. *Naevius Cypriae Iliadis libro I.*

Collum marmoreum torque gemmata coronat.

Priscian. 10. p. 881. *Naevius in Iliade II.*

Fecundo penetrat penitus thalamoque potitur

Chalcidius in Timaeum p. 159. ed Meurs.

Exuviis rabies furiarum examina mille.

Prisciani loco Vossius de arte gramm. 3, 35. p. 318. b. *Laevii* nomen esse reponendum olim iam intellexerat, eandemque medicinam reliquis duobus grammaticorum locis adhibuisset, si eius id monere fuisset. Nullum enim frequentiorem, nec faciliorem calami esse lapsum, quam in LAEVII et NAEVII nominibus, supra dictum. Ac Laevii, minime Naevii, hanc Iliadis Cypriae conversionem Latinam esse, etiam Scaliger vidit, ad Ausonii centon. nuptial. p. 517. ed Tollii obiter annotans: „Et Laevius scripsit Cypriam Iliadem.“ Exulabit igitur porro his locis Naevii nomen. Nec scio an idem ferendum sit iudicium de Livianis illis ex Odyssea Latina versibus, quos (Laevii) qui fortasse ut Iliadem, sic etiam Odysseam scripsit, suspicor esse omnes, utriusque auctoris nomine confuso locis Prisciani supra indicatis, in quibus, quod animadvertendum, *Livii* nomen nude ubique, non *Livii Andronici*, legitur.

CAPUT TERTIUM.

Annus indicatur, quo prima Romae a Livio Andronico fabula edita est.

Magnam apud veterum scriptores eos, qui litteras et doctrinam professi sint, iam de ipso, quo Livius primam Romae fabulam docuerit, anno controversiam fuisse testatur locus in Cic. Brut. 18, 72. supra laudatus, nunc quum ex eo tota temporis ratio sit putanda, totus adscribendus: *Atque hic Livius, qui primus fabulam C. Claudio Caeci filio et M. Tuditano consulibus docuit, anno ipso, antequam natus est Ennius, post Romam conditam autem quarto decimo et quingentesimo, ut hic ait, quem nos sequimur. Est enim inter scriptores de numero annorum controversia. Ateius* [sic] *autem Q. Maximo quintum consule captum Tarento scripsit Livium, annis XXX. postquam eum fabulam docuisse et Atticus scribit et nos in antiquis commentariis* [puta Pontificum, coll. 14, 55.] *invenimus: docuisse autem fabulam annis post XI. C. Cornelio, Q. Minucio consulibus ludis Iuventutis, quos Salinator Senensi proelio voverat. In quo tantus*

error Attii fuit, ut his consulibus XL annos natus Ennius fuerit, cui quum aequalis fuerit Livius, minor fuit aliquanto is, qui primus fabulam dedit, quam ii, qui multas docuerunt ante hos consules, et Plautus et Naevius. De consulibus idem refert Cicero, anni numero paullum discedens, in Tusc. disp. 1, 1, 3. *Annis enim fere DX post Romam conditam Livius fabulam dedit C. Claudio Caeci filio, M. Tuditano consulibus anno ante natum Ennium: qui fuit maior natu, quam Plautus et Naevius,* ubi verba postrema a vocabulis *qui fuit* etc. nuper uncis seiuncta servari fortasse possunt. In hac annorum discrepantia viri docti hosque inter Wetzelius ad Cat. Mai. 14, 13. non debebant tantopere offendere, ut de numeri emendatione cogitarent. Cicero enim haec quum in villa scriberet, certum, quo haec Romae facta essent, annum non meminerat, ideoque ne plane falleretur, adiecta particula *fere* apertam erroris culpam a se reiicere maluit, quam accuratae chronologiae studiosus videri. Hic igitur ex Tusculanis locus cum illo ex Bruto minime habet quo differat, ut vulgo creditur. Ad eundem consulatum rem pertinere scribunt idem de senect. 14, 50. ubi Cato Maior: *Vidi etiam senem Livium, qui quum sex* [alii *septem*] *annis* 1) *antequam ego natus sum, fabulam docuisset, Centone Tudi-*

1) Sic pro vulg. *annos* e codd. correxit Goerenzius ad Acad. 2, 5, 13. p. 29., adstipulante cod. reg. Berol., quo vitio multa adhuc veterum scriptorum loca laborant, veluti Cic. Cat. Mai. 6, 16. *Atque hanc ille egit septem et decem annos post alterum consulatum,* ubi *annis* emendandum. Ut quid intersit, (nihil licet Heusingerus ad Cic. Off. 2, 23, 5. differre opinetur,) utrum

tanoque consulibus, usque ad adolescentiam meam processit aetate, et Gellius 17, 21: *Annis deinde postea paullo pluribus quam viginti pace cum Poenis facta consulibus Claudio Centone Appii Caeci filio et M. Sempronio Tuditano primus omnium L. Livius poeta fabulas docere Romae coepit, post Sophoclis et Euripidis mortem annis plus fere centum et sexaginta, post Menandri annis circiter quinquaginta duobus.*

Primum autem ille ipse Ciceroni memoratus Ateius contra haec testimonia pugnat, cuius argumenta videndum an a Cicerone iure refellantur, quum Ciceroni res gestas enarranti tanta fides non habenda sit, quin eum falsum nonnunquam statuas. Contraria Cassiodorus quoque tradit in Chronic. T. 1. p. 383. *C. Mamilio et Q. Valerio. His consulibus ludis Romanis primum tragoedia et commoedia ad scenam data*, unius anni discrimine a Ciceronis calculo discrepans: nam horum consulatus Centonem et Tuditanum consules excipit. Haec autem differentia non magni est momenti. Sed gravior est Hieronymi in Euseb. Chron. p. 144 Livium contendentis olymp. 149, 1., hoc est a. Chr. n. 184 a. u. c. 570., floruisse, ergo si eius florem ad illum annum, quo primam fabulam ediderit, retuleris, sex et sexaginta circiter annis postea,

---

annos, an *annis* in hac verborum iunctura dicatur, clare intelligas, duo loca apponam satis evidentia: Tuscul. 5, 39, 112. *qui caecus multos annos fuit* et Cat. Mai. 9, 30. *qui quum quadriennio post alterum consulatum pontifex maximus factus esset, viginti et duos ei sacerdotio praefuit.* Cf. Drakenb. ad Liv. Epit. 2. T. 1. p. 232.

quam eum fabulam docuisse vulgo tradant, clarum esse habitum. Longe igitur a Ciceroniana digreditur Hieronymi chronologia, cui congruum est Horatii Epist. 2, 1, 161. seq. iudicium:

Serus enim Graecis admovit acumina chartis,
Et post Poenica bella quietus quaerere coepit,
Quid Sophocles et Thespis et Aeschylus utile ferrent:
Tentavit quoque rem, si digne vertere posset etc.

Sed Horatium primitiva Romanorum poesis pericula bellis Poenicis primum compositis a Graecis translata esse censentem, non horridam Livii aetatem, sed cultiora Romanae poesis tempora, ut Ennii, Pacuvii, Attii, respicere bene monuit Köpkius l. l. p. XLIX. Eadem mente se intelligi voluit Porcius Licinius apud Gell. 17, 21. eleganter canens:

Poenico bello secundo Musa pinnato gradu
Intulit se bellicosam in Romuli gentem feram.

Ciceronis vel potius Attici calculum, quem hic protulit, ut videtur, in Annalium libris, quos Cicero Ep. ad Pomponium 12, 23. Nepos vit. Attici 18, Ascon. Pedian. ad or. adv. Pison. commemorant, Cicero in Bruto 3. fortasse respicit, omnes qui his diebus de Andronico scripserunt, fere secuti sunt, solum in discrimine unius anni, aut 513. aut 514., discrepantes: atque ita fere rem habere, ex Ciceronis argumentis veri fit simile. Rem vero extra omnem dubitationis aleam positam esse, a nemine adhuc comprobatum est. Ateii computationem annorum falsam esse, facile potest evinci, atque etiam reliquos auctores Ciceronis sententiae adversarios erroris esse redarguendos. At Cicero quoque errare potuit. Disceptationis igitur telam denuo suscepi or-

diendam. Primum Ateii reliquorumque scriptorum calculos esse falsos docebitur: post videndum, Claudii et Sempronii consulatus utrum in a. 513, an 514 incidat, denique utrum Ciceronis ratio argumentis aliunde petitis confirmari possit, an refellenda sit omnino.

Ateii ratio, ex qua Livius primam fabulam a. 556. edidisse fertur, si ea quae Cicero de Ennio affirmet, vera esse probari potest, refutatur. Atqui ut Cicero praedicat, res habet, tam gravibus et claris corroborata argumentis, ut nonnisi pauca ad explicanda ea opus sit adiicere. Ennius enim quum C. Mamilio et Q. Valerio Coss. a. 514. natus sit, quod ita esse infra evincetur, Ennium ex Ateii calculo sequitur, quum Livius primam fabulam in scaenam daret, unum et quadraginta annos iam natum fuisse, in qua aetate eum nonnullas iam edidisse fabulas probabile est. Idem etiam convincitur ex Naevii et Plauti chronologia, de qua cf. Wetzel. ad Cic. Brut. 18., hunc a. 569., illum a. 549. obiisse docens. Idem testatur etiam Cicero initio Tusculanarum, nisi cum Davisio ineptire mavis verba *qui fuit* non ad Livium, sed ad Ennium referente Ciceronemque erroris redarguente: qui tantus fuerit in notissima re ipsique auctori pluries commemorata, ut non pro memoriae lapsu, sed pro stupore potius habendus sit. Sed non opus post ea quae Vossius de Hist. Lat. 1, 7. p. 65. et Funccius de adolescent. ling. Lat. 2, 7. p. 65. dixere, pluribus refellere Davisium. Quam erroris culpam, Ciceroni in se admittere non licebat, poterat Donatus ad Terent. Andr. prol. 18. falsus his verbis: *Ennius namque ante Plautum fuit.*

Unum addam argumentum, quo Atelii chronologia certissime evertitur. Primam fabulam post Tarenti expugnationem Maximo quintum consule statuit hic a Livio Andronico editam esse, ergo aliquot annis post a. 545. Quod si iam Ateio concedamus, Naevium, quem Gellius 17, 21. primam fabulam suam a. 520. (variat numerus hic inter duos annos, vide Gronov. ad h. l. et Wetzel. ad Cic. Cat. Mai. 14, 12. qui id factum esse docet quinquennio post bellum Poenicum primum) in scaenam dedisse narrat, in fabulis edendis apparet Livium antecessisse, cui omnes scriptores uno ore et consensu hunc honorem vindicant. Praeter laudatos vide Servium ad Virg. Aen. 10, 636. *quod ait Livius Andronicus, qui primus edidit fabulam apud nos.* Diomedes 3. p. 486. Donat. de comoed. et tragoed. p. LVII. ed. Westerhov. *Comoediam et tragoediam togatam* [procul dubio vox postrema in mendo est, quum Livium ne unam quidem fabulam togatam scripsisse ex reliquis eius fabularum titulis probari possit, neque omnino veri simile videatur: scribe *palliatam*] *primo Livius Andronicus reperit.* Adde Schol. Cruquii ad Horat. Epp. 2, 1, 69. Hinc locus corrigitur in Joannis Lydi libro de magistratibus Romanorum Parisiis nuper a Fussio primum edito, ubi p. 40. legitur: Τότε Τίνιος ὁ Ῥωμαῖος κωμικὸς μῦθον ἐπεδείξατο ἐν τῇ Ῥώμῃ. Editor Τιτίνιος legendum censet, quod quum scriptori historiae Romanae non imperito manifestarium tribuere errorem nefas arbitrer, displicet: Λίβιος in Τίνιος latere, nemo non videt. Quae subsequuntur Lydi loco verba tantam vim habent ad rem Romanorum dra-

maticam illustrandam, ut eorum porro quam obscurorum explicationem, quae hic inseri non commode possit, singulari capite instituerimus persequendam. — Aliud quoque ad confringendam Ateii sententiam accedit argumentum, quo Livium Q. Maximo consule Tarentum expugnatum captum esse non potuisse, clare evincitur. Una enim cum Maximo Tarentum esse profectum adolescentem se scribit Cato Maior apud Cic. de sen. 4, 10. 12, 39. Adde Plutarch. vit. Cat. 2. Φαβίου δὲ Μαξίμου τὴν Ταραντίνων πόλιν ἑλόντος ἔτυχε μὲν ὁ Κάτων στρατευόμενος ὑπ' αὐτῷ κομιδῇ μειράκιον ὤν. Catonem septem et decem annos natum huic Maximi expeditioni interfuisse tradidit Nepos eius vita 1. At sex annis postquam prima ab Andronico fabula edita sit, natum se esse et adolescentem se vidisse Livium senem idem narrat apud Ciceronem 14, 50.

Igitur si Ateium egregie falli demonstratum est, etiam Hieronymi ratiocinationem concidere, sponte apparet, quem eo minus mirabere errare, si eundem in constituendo Ennii mortis anno atque ubi vis fere falsum esse videbis. Eusebii error tam pinguis est, ut p. 144. inclaruisse tum Livium dicat, quum Naevium et Plautum, hunc olymp. 145, 4. (a. Chr. n. 197. a. u. c. 557.), illum septem annis ante, diem supremum iam obiisse dixit. En tibi exemplum, quanta in veterum chronologiis habenda sit fides uni testimonio, nisi aliunde argumenta, quibus etiam magis res confirmetur, accedant.

Post hos auctores qui huius rei rationem putaverunt, aut plane ineptiverunt, veluti Duiatius ad Livii 7, 2. 8. Andronicum ad Lucilianarum satirarum

in ludis suam tragoediam componere statuens, quem Drakenborchius jam explosit, aut Tuditani Sempronii consulis nomine decepti rem ad Cornelii Cethegi et Tuditani Sempronii consulatum retulerunt, nempe ut Ciceronis sententiam cum Attii testimonio conciliarent: hic enim consulatus in a. 546. cadit: cf. Cic. Brut. 15. de sen. 4. Pighii Annal. T. 2. p. 71. Ab hac sententia stabant Faber in Thes. l. l. v. *Andronicus* et Jacobsius l. l., qui, quod non satis mirari possis, Cornelii Cethegi et Sempronii Tuditani consulatum ad a. 514. pertinere dicit. Aut denique Ciceronis calculum secuti inter annos 513. et 514. discedunt, alius alium exscribens. Annum 513. indicavit Funccius de adolescent. ling. Lat. 6. p. 59. Sed omnes fere in a. 514. convenere, veluti ut viros primarios nominem, Casaubonus de poes. sat. 2, 1. Wielandus ad Horat. Epp. T. 2. p. 94. ed. prior., etiam qui rem novissime tetigerunt, Aug. Matthiae libro *Grundriſs einer Geschichte der Griech. und Röm. Litteratur* p. 135. et Passovius libro *Grundzüge der Griech. und Röm. Litteraturgeschichte* p. 23. Nec qui a. 512. indicaret, defuit, Köpkius l. l. p. XLIX. L.

Iam de ipso Ciceronis et Attici calculo videndum qui, quum duumviri errare potuerint, num definiri accuratius aliunde possit et confirmari, age perquiramus. Omnia expendenda erunt momenta, quorum potiora videbuntur ea, quae non ex Ciceronis scriptis petantur, etsi ea, praesertim quum inter se consensum quendam habeant, non sine vi et gravitate sint. Numerum anni 514., quem Cicero ipse significavit, nego habere auctoritatem aliquam, quum in eo describendo librarios falli potuis-

se, apertum sit. Illis igitur argumentis aliunde depromptis magis erit confidendum.

Cato Maior apud Cic. de sen. 4, 10. natum se dicit esse anno antequam F. Maximus primum egerit consulatum, qui in a. 520. incidit. Ex Liviana chronologia annum 517. perperam indicari, colligere licet ex Pighii Annal. T. 2. ad a. 520. Idem 14, 50. sex (codd. aliquot ibi *septem* exhibent, de quo posthac) annis postquam Livius primam fabulam ediderit, se natum testatur. Quae si vera sunt, fabulam primam aut a. 514, si *sex* legeris, aut 514., si *septem*, sequitur Romae actam esse. Sed hoc unius anni discrimine misso alia enarrabimus argumenta.

Quod ad Gellii temporis computationem ex annorum quibus Sophocles, Euripides Menanderque vita decesserint, ratione ductam attinet, magnopere laetor Gellii calculum cum meo plane convenire. Dicit enim Gellius, primam fabulam esse actam Claudio Centone et Sempronio Tuditano coss., hoc est a. 513. adiicitque factum id esse annis plus fere centum et sexaginta post Sophoclis et Euripidis mortem, quae ex Boeckhii de Trag. Graec. 16. p. 211. et Thierschii in Act. Phil. Monac. 1. 3. p. 323. computatione eodem anno accidit, tertio olympiadis 93, i. e. 406. a. Chr. n. 348. a. u. c. [2]), cui numero si ex mente Gellii sexaginta et centum annos addi-

2) Eundem calculum iam Valckenarius praef. ad Eurip. Phoenis. p. II. breviter computavit, etsi in eo sibi non constat ad Schol. Phoen. p. 79. Euripidis mortem ad annum secundum olymp. 93. referens. Unius anni discrimine discedit Corsinus Fast. Att. T. 3. p. 260. Eusebium in Chronico secutus.

ctis, a. u. c. 508. a. Chr. n. 246. numerabis: vel duobus et quinquaginta annis post Menandri obitum, si eum ex Gronovii ad Gell. l. l. sententia ad olymp. 122, 1. id est a. Chr. n. 292. a. u. c. 462. refers, annis duobus et quinquaginta adiectis, annus u. c. 514. fabulae Romae actae secundum Gellium constituitur. Iam si aliquot annorum discrimine Gellium apparet ipsum dissentire, quamquam is, quod ex accurate indicato centum et sexaginta ac duorum et quinquaginta annorum numero colligitur, aliam vulgarem, quamvis falsam, opinionem de Sophoclis, Euripidis ac Menandri obitus annis secutus, unum eundemque certum annum, quo prima fabula edita fuerit, nominare videatur: nihil impedit, quo fabulae primum actae annum minus recte ab eo computatum esse dicamus, quum in consulatu indicando cum ceteris scriptoribus optime convenerit, qui tamen, quo anno is actus sit, quum accurate non teneret, addidit *fere* sive *circiter* Livium tot annis post Sophoclis ceterorumque mortis annos primum Romae fabulam docuisse.

Nostro vero cum calculo quaestione locus Livii 7, 2., ubi Andronicus *aliquot annis* post C. Sulpicii Petici et C. Licinii Stolonis consulatum (a. u. c. 396.) primam docuisse fabulam fertur, conciliari queat, nondum exputavi. Quum enim inter illorum et Centonis Tuditanique consulatus anni plus quam centum interiaceant, *aliquot annis* post ab Andronico primam fabulam editam esse, Livium historiarum scriptorem dicere potuisse veri simile vix videtur. Etiam ab alia parte Titi locum laborare eo

perspicitur, quod is C. Sulpicio Petico C. Licinium Stolonem in consulatu collegam tribuat, alii contra scriptores, a quorum partibus etiam Fasti Romani stant, Licinium Calvum: cf. Pigh. Ann. T. 1. p. 273. Quae difficultas utrum aliqua ratione tolli queat, an Livii errori imputanda sit, aliorum iudicio peritiorum relinquo expendendum: satius duxi Livii interpretes, qui hanc discrepantiam hucusque aut non intellexere, aut scientes tacuere, monuisse, aut Livium aliquid erroris, aut eius qui libros descripserint, librarios commisisse. Non tamen tacendus Köpkius, qui l. l. etiam se scribit Livii loco haesitasse.

Eo nobis iam, credo, delatis, ut inter annos 513. et 514. nostrae disceptationi solos relictos, utro prima acta sit fabula, diiudicandum sit, quamquam id ex supra dictis facile discerni potest, placuit singulari adhuc et evidenti argumento eruere. Ennium C. Mamilio et Valerio coss. a. 514. natum esse, evicit Wetzel. ad Cic. Cat. Mai. 5., cuius ratiocinationi Varronis auctoritas ex libro primo, quem de poetis scripsit, apud Gellium 17, 21. addenda erat. Apparet hinc Hieronymum p. 145. ad olymp. 153, 1. dicentem *Ennius poeta septuagenario maior articulari morbo periit* vehementer errare: nam inde sequeretur ante a. 514. Ennium natum esse, quod falsum, eodem licet errore laboret Vossius de Hist. Lat. 1, 2. Quae si vere conclusa sunt, non potest utrum a. 513. an a. 514. acta sit fabula amplius ambigi, quum eam anno ante natum Ennium editam esse tradat Cicero Brut. 18. et Tuscul. init.: cui testi eo magis in hac re fides habenda est, quum haec ratio cum reliquis optime congruat argumen-

tis. Quoniam Claudii et Sempronii consulatum Manilius et Valerius consules excipiunt, quod testantur Fasti et scriptores omnes, facile Livium sequitur, qui primam fabulam Claudio et Sempronio coss. edidit, anno u. c. 513. eam Romae docuisse. Inde etiam in Tusc. l. l. recte legi *DX*, non *CCCCX*, ut in nonnullis libris est, colligitur: porro loco ex eius Catone saepius ad partes advocato, non *sex*, sed *septem* scribendum et in Brut. 18, 50. sine haesitatione *tertio decimo quingentesimo* emendandum esse: quae coniectura neque insolens, neque audax iis esse videbitur, qui quantopere in temporum ratione numerorum signis expressa vel casu turbatum vel ignorantia scribarum peccatum sit, probe perspexerint.

His disputatis alia placuit subiungere, quae huc vel maxime pertinent, immo ad argumentum huius capitis penitus cognoscendum necessaria sunt. Exponetur, id vero quam brevissime, primum cuiusnam generis prima apud Romanos edita fabula fuerit, utrum tragoedia, an comoedia, eaque quorum cura atque auctoritate, denique quibus festis acta sit.

De eo, quod primo loco posui, eo magis opus videtur disserere, quo viros doctos in diversas super hac re sententias idque plerumque nullis expositis argumentis discedere animadverti; veluti Iacobsium l. l., qui tragoediam primum ab Andronico editam esse scribit, vel God. Aug. Bened. Wolffium, qui *Dissertat. prima de actibus et scenis apud Plautum et Terentium* p. 16. Livii carmina tragoediis similiora fuisse quam comoediis annotavit. Magis adhuc mirum huic locum me dare disceptationi iis videbitur,

qui Livium omnino comoedias fecisse negant. Rem autem ex ipsius indole atque ingenio populi Romani explicare conatus, Romanorum innatae gravitati severae solam dices placere potuisse tragoediae austeritatem. Atque hinc maximum petunt argumentum, quo tragoediam primo Livium docuisse demonstrent, etiam Hieronymi ad testimonium *tragoediarum scriptorem* tantummodo Livium nuncupantis provocantes. At non ita est. Hoc enim maxime loco a Graecis, qui theatra non eo consilio frequentabant, ut animum laboribus et negotiis distractum et defetigatum amoeno spectaculo relaxarent, sed ut dramate mores hominum et vitae officia clarius cognoscerent indeque in usum suum et fructum converterent, plane discedunt Romani, quibus, quum tristia et contracta praesenti tempore supercilia carminibus ioco et hilaritate refertis convivalibus ante, post Atellanis explicare consuevissent et delectari, nihil magis poterat arridere, quam hilare Graecae comoediae antiquae genus Romam delatum, nihil magis fugiendum, quam triste et grave Graecae tragoediae spectaculum. Hinc colligi certe posse videtur, comoediam prius, quam Romanorum animi ad delicias tragoediae fruendas accommodarentur, agendam fuisse, ut etiam ex tragoediarum actionibus voluptatem capere paullatim addiscerent. Ac nullum invenitur apud veteres indicium, tragoediam prius actam fuisse, nonnulla contra de comoedia affirmant. Diomedes 3. p. 386. *Ab his* [Graecis] *Romani fabulas transtulerunt et constat apud illos primo* [fort. *primum*] *sermone Latino comoediam Livium Andronicum scripsisse*, unde pro-

fecit Rabanus Maurus de art. grammat. 2. p. 46. b. T. 1. ed. ei. Op. Coloniae Agr. 1626., cui pro *Libaeum*, quod vulgatur, *Livium* bene restituit Ernestius in Bibl. Lat. T. 1. p. 5. Schol. Cruquii ad Horat. Epp. 2, 1, 69. *Livius Andonicus antiquissimus poeta primus comoedias scripsit*. Cassiodorus l. l. eodem anno Romae primum et tragoediam et comoediam in scaenam esse datam annotavit. Hinc corrigitur Fulgentius Exposit. serm. antiq. v. *Delenificus*, ubi vulgatur *Lucillius comicus in Numularia* [sic pro *Immolaria* e cod. Leidens. et editt. vett.]: apertum est, *Livius* pro *Lucillius* scribendum esse. Aliis locis Livius ubique fabulam, tragoediam nusquam, primo dicitur edidisse. Ac deperditarum eius comoediarum nomina et fragmenta nonnulla nostram adhuc aetatem tulerunt, veluti ex eius *Centauro* Festo v. *Petnarum* laudata, cuius nominis multae apud Graecos circumlatae sunt fabulae, ut Ophelionis, Aristophanis, Nicocharidis, Apollophanis, Theogneti, Timoclis: conf. Suid. v. Πρόδικον et Ὠφελίων, Bekkeri Anecd. Graec. T. 1. p. 89. 327. Fabric. Bibl. Gr. T. 2. p. 500. 504. Harl. Quod in Festi schedis aliquot *Laevii* nomen reperitur teste Scriverio ad Auson. Centon. nuptial. p. 517. Toll., vitiosum censeo, quum huic poesis generi Laevium operam navasse levinci nequeat. Deinde Festo v. *Pedibus obsitum* laudatur Livii *Gladiolus*, fabula procul dubio argumenti comici, etsi in codicibus nonnullis *Naevii* nomen exhibeatur. Eiusdem generis etiam *Lydius* eius fabula esse videtur, Fest. v. *Scena;* etiam *Serenus* apud Priscian. 7. p. 739, 10., cuius fabulae nomen fortasse ex *Sirene*,

vel *Sirenibus* depravatum, quum in fragmento ibi laudato de Ulysse sermo sit. Atque e Graecis plures Σειρῆνας comoedias scripserunt, velut Epicharmus, teste Athenaeo 7. p. 277. F.; Nicophon, Fabric. Bibl. Gr. T. 2. p. 472. Harl.; Theopompus, Fabr. l. l. p. 502., cui adde Schol. Aristoph. Lys. 45. Porro *Virgo*, Fest. v. *Nobilem*; quamquam an ea Livii sit dubitari potest, quum etiam Naevii nomine citetur *Virgo praegnans* fabula apud Priscian. 16. p. 879., quam eandem esse coniicio. Παρθενίδιον Graece scripsit Araros, Fabr. l. l. p. 422. Quod esse comoediam suspicari possis carmen *Polymetrorum* nomine celebratum Prisciano 6. p. 712., ex Livii scriptorum ordine exterminandum arbitror: est enim *Laevii* opus, non Livii, et lyrici quidem ut videtur generis, odarum syllogen fortasse complectens, e cuius prooemio fragmentum, quod citatur depromptum suspicor:

Omnes sunt denis syllabis
Versi.

Laevium autem lyricorum carminum fuisse auctorem tradunt Gellius 19, 9. et Schol. Porphyrion. ad Horat. Carm. 3, 1. init. Atque in Putschiana Prisciani editione iam excusum *Laevii* nomen reperitur, quamvis male ibi *Levius*. Eiusdem argumenti lyrici fuisse videntur eius *Erotopaegnion* libri, quos Laevii, non Naevii, nec Livii esse post Scaligerum ad Ausonii l. l. docuit Bentleius ad Hor. Epp. 2, 1, 69. Hinc corrigendi Priscianus 9. p. 862. 11. p. 922. [3]

---

3) Ex posterius laudato Prisciani loco haud scio an Sergius in Donatum p. 1853, 40. corrigatur, ubi eadem participii forma

Charisius p. 183. et Nonius p. 133, 8., quibus locis *Laevii* nomen restituendum. Quam frequentem utriusque nominis esse confusionem, aliquod exemplis monstrabo, quod quum de Livii fabulis sermo sit, nemini, credo, prorsus videbitur alienum. Quum quae supersunt Laevii Erotopaegnion librorum fragmenta iambicis dimetris composita omnia esse videantur, si unum excipias Prisciano 9. p. 869. commemoratum, quod misere corruptum videtur: etiam quae Livii nomine ex Protesilao, vel Laodamia, vel Protesilaodamia feruntur, quae una eiusdemque libri unius ex opere Erotopaegnion inscriptio est, quum omnia eodem metro conscripta sint, Laevio iudico attribuenda. Atque *Laevii*, non Naevii, nec Livii nomen ut Protesilaodamiae auctoris praebent codices melioris notae in Gellii 12, 10. ubi vide Gronov. Idem mendum occupavit Prisciani alium locum 10. p. 877. ubi Laevii quod citatur fragmentum, hoc modo restituendum est:

Aut nunc quaepiam alia te illico
Asiatico ornatu affluens
Aut Sardiano[4]) *aut Lydio*
Fulgens decore et gloria
Pellicuit.

Naevii nomen pro *Laevii* perperam fragmento apud

---

meminens, quae illic attingitur, ex Plauto citatur, in cuius fabulis, quae hodie supersunt, formam frustra quaesiveris; quamquam hoc non magnopere premendum. Sed servili constantia grammatici in exemplis citandis, alius alium, exscribere solent.

4) Haec vox restituenda Varroni Hercule Socratico apud Non. p. 542, 14., ubi mendose: *In omnibus rebus bonis quoti-*

Priscianum 6. p. 703. adhuc praefigitur, ita concinnando:

Complexa somno corpora
Adoperiuntur ac quie
Suavi dicantur.

Eodem quoque metro constat longius Laevii fragmentum Appuleio Apologetic. p. 455. ed. in usum Delph. citatum, quod ex Erotopaegnion libris sumptum esse, loci sensus testatur. Laevii nomen etiam restituendum in loco, de cuius metro non constat, apud Nonium p. 116, 7., cubi adhuc *Naevius* exaratum, ut etiam p. 209, 29.): *Gracilentis colorem, dum ex hoc gracilens* [sic pro *gracilans*] *fit.* Ceterum suppletur hic Nonii locus codice Guelpherbytano ita, ut post vocem *dubitem* addantur *Ennius lib. VII.*

Deducant habiles gladios filo gracilento.

Sic scribendum, quum codex *gracilenlo* praebeat, quod Nonii praecepto, ex quo *gracilentus* [sic apud eum legendum pro *gracilentum*] pro *gracilis* dicatur, non convenit.

---

dianis, [editum in Varr. edit. Bip. p. 283. *quotidianus:* rectius fortasse *quotidiano*, de qua forma conf. Bentl. ad Terent. Heaut. 4, 5, 7. Taubmann. ad Plaut. Capt. 3, 5, 66.] *cubo* in *Sardinianis tapetibus.* De Sardorum in vestimentis luxu et splendore nihil compertum est: immo Sardi *mastrucatorum* nomine Ciceroni derisui fuerunt: v. Spalding. ad Quintil. 1, 5, 8. Praeterea dicendum erat *Sardiniensibus.*

Sed iam redeo. Andronicum scripsisse comoedias, etiam ex Flavii Vopisci Numerian. 13. verbis intelligitur: *Ipsi denique comici plerumque sic milites inducunt, ut eos faciant vetera dicta usurpantes. Nam et lepus tute es et pulpamentum quaeris Livii Andronici est.* Haec Livii verba ex comoedia aliqua laudari non potest esse incertum, fortasse ex *Gladiolo*, si coniectare liceat. Ceterum quod Bentl. Terentio Eun. 3, 1, 36. verba Livii mutuanti restituit *pulmentum*, etiam Nostro apud Vopiscum reddendum censeo. Etiam ubi de Andronici comoediis sermo est, dictum eius non praetereundum est apud Donat. de comoed. et tragoed. p. LVII. Westerh. *Livius Andronicus — aitque comoediam esse quotidianae vitae speculum*, unde profecit Cicero apud eundem grammaticum dicens comoediam esse *imitationem vitae, speculum consuetudinis, imaginem veritatis.*

Corrigendus est Planckii error Enn. Med. p. 60., Aedilium curulium cura et tutela Livium Andronicum fabulas suas docuisse annotantis. Quorum administratione publica quoniam posthac edi populo solerent spectacula et munera, id non ad Andronici tempora referri debebat, quum a Livio 24, 43, 7. certo tradatur, ludos scaenicos ab Aedilibus curulibus eo primum anno factos esse, quo Q. Fabius Maximus consulis filius et Tib. Sempronius Gracchus a. 541. consulatum, P. Sempronius Tuditanus, Cn. Fulvius Centumalus et M. Aemilius Lepidus aedilitatem curulem egerint, licet Livius in nominibus Aedilium indicandis paullo erraverit, Pighio Ann. T. 2. ad hunc annum Cornelium Scipionem et M. Cornelium Cethegum, non Sempronium et Fulvium, quintum prae-

tores, fuisse Aediles docente. Minime contra hoc testimonium pugnat Lex XII. tabularum Ciceroni de legg. 3, 3, 7. annotata: *Suntoque Aediles curatores urbis, annonae ludorumque solemnium.* Colligitur enim tantum ex hoc indicio, scaenicorum ludorum curam Aediles non ante a. 541., Circensium reliquorumque gymnicorum, ut gladiatorum, antea iam suscepisse. Nulla hanc ob caussam a Livio 7, 2., ubi de prima Romae ludorum scaenicorum actione agit, Aedilium curulium iniecta est mentio, quos annotare non neglexisset. Iam si, cui apud Romanos magistratui edendae primae fabulae cura demandata fuerit, quaeritur, non potest dubitari, praetorem urbis munere hoc functum esse, quum vel posteriori tempore, si Aediles curules forte nondum creati, aut alio officio occupati detinerentur, id quod saepius accidit, praetori ludorum curandorum, etiam scaenicorum, administrationem fuisse suscipiendam, ex historiarum Romanarum libris abunde constet, et priori aetate praetorem hoc munus subiisse, ex insigni Marci vatis loco apud Macrob. 1, 17. p. 228. ed. Pontan. ludos Apollinares praetori edendos fatidico carmine iubentis pateat, quod posthac a. 543. etiam factum esse, testantur Livius 27, 11, 6. et Festus v. *Salva res.* Conf. Hottom. ad Cic. 2. Verr. 1, 6.

Superest ut de festis dicatur, quibus prima Romae fabula acta esse videatur. Donat. de comoed. et trag. pag. LVII. Westerh. *Actas diversis ludis manifestum est inscribi* [*fort. in scriptis*]. *Nam ludorum quatuor sunt species, quos Aediles curules munere publico curant: Megalenses, magnis Diis consecrati, quos Graeci* Μεγαλησίους *appellant;*

funebres, ad retinendum populum instituti, dum pompa funeri decreta in honorem patricii viri plene instruitur; plebeii, qui pro salute plebis eduntur; Apollinares, Apollini consecrati. Quatuor igitur his Donatus scaenica spectacula edi esse solita scribit ludis, quorum duo a nostra disputatione statim eximendi sunt, Megalenses et Apollinares, quum illis, quamvis antiquissimo Regum tempore iam institutis, nonnisi Circenses editi sint, nulli adhuc scaenici, quos Megalensibus primum a. u. c. 549. celebratos esse docent Augustinus et Dacerius ad Fest. v. *Salutaris.* Nec pertinent huc Apollinares, quos Appio Claudio et Q. Fulvio coss. a. u. c. 542, primum factos esse annotavit Dacerius ad Fest. v. *Salva.* Adde Macrob. l. l. [5]) Restant igitur, quibus Livius fabulam primam docuisse potuerit, ludi plebeii et funebres, quorum quum neutro id factum Romae esse evinci possit, acquiescendum putavi in testimonio Ateii, quem etsi in annorum computatione rem confudisse supra demonstratum est, non tamen in reliquis indiciis prorsus reiiciendum crediderim. Tradit is l. l. editam esse primam fabulam a Livio Andronico ludis Iuventatis, qui agebantur anniversarii, conf. Cic. Ep. ad Att. 1, 18. Donatum autem hos Iuventatis ludos, quibus agi fabulae sint solitae, memorasse oblitum esse, nihil mirum, quum etiam Capitolinos et Romanos, quibus scaenica spectacula edita esse, nonnulla veterum testimonia doceant, veluti ludis Romanis ipsam Te-

---

5) Obiter moneo in Varron. de L. L. 5, 3. p. 56. Bip. corrigendum esse *Apollinaribus ludis docuit fabulam:* vulgatur ibi *docuit populum.*

rentii Phormionem fabulam actam esse, eius didascalia testetur, praetermiserit. Conf. Muretum ad Donati locum (in ed. Westerh.) et Scalig. Coniect. ad Varron. L. L. 5. p. 56. Bip. Non tamen magnopere repugnaverim ei, qui primam fabulam ludis Romanis actam esse indicium Cassiodori supra laudatum secutus, statuere malit.

CAPUT QUARTUM.

Disputatur de Ateio philologo et Joannis Laurentii Lydi loco.

Quod superiori capite in adscribendo Ciceronis loco ex Bruto 18, 72. a nobis occupatum est atque ex mera coniectura fluxit *Ateii* nomen, cui nostro studio cedere oportuit *Attium*, fusius corroborare visum est, tum quia *Attii* auctoritas, quae multos patronos atque interpretes reperit, a nemine adhuc, quod equidem sciam, labefactata est, tum quia substitutum *Ateii* nomen flagitare defensionem, certe illustratione indigere videtur. Antequam autem ulterius progrediar, id monitum volo, *Ateii* nomen una littera scribendum esse teste lapide antiquissimo in Act. soc. Jen. vol. 5. p. 58. prolato; exemplum geminatae litterae quaerenti mihi nondum succurrit. Ἀτήϊος etiam Graeci: vide Appian. de bell. Syr. p. 220. ed. Toll. et Plutarch. vit. Crassi. In scribendo *Attii* nomine, (de quo hoc loco adiiciendum, quum hoc capite et saepius recurrat), non satis mirari possum quomodo acciderit, ut viri docti tantopere inter se decertarent modo scrip-

turam *Aecii*, modo *Attii*, modo *Actii* amplectentes, quum a Graecis iam discere potuerint, *Accii* esse nomen nullum, sed omnino *Attium* esse scribendum, quod, ut unum afferam exemplum, Attii Naevii nomen apud Dionys. Hal. Antiq. Graec. 3, 70, T. 1. p. 587. Reisk. satis testatur. Secundum lapidum auctoritatem res decerni non potest, quum lapides utramque scripturam aeque tueantur, etsi antiquiores plerumque *Attium* praebeant, ut in nonnullis conspicuum, quos attulit Wesselingius Probabil. c. 15. p. 120. 121.

Eorum primum facile refutatur opinio, qui *Attium* illum esse censeant poetam tragicum, eundemque hanc super Livio rationem in libris suis annalium computasse dicant. Nam ex Ciceronis commemoratione facile intelligitur, hanc Attii rationem non versibus, sed prorsa oratione conceptam fuisse, quum si versibus contenta fuisset, eorum coloribus orationem suam Cicero exornare non praeteriisset. At quae circumferuntur in grammaticorum Latinorum operibus ex Attii annalibus ad Ennianorum modum conformatis fragmenta, metro epico omnia constant. Sed Ciceronem hoc modo ex Attii annalibus locum fac laudare potuisse: num veri videtur simile, Attium in computanda primae fabulae apud Romanos actae ratione tantum potuisse committere errorem, eumque, qui sexaginta circiter annis et minus post Andronicum floruerit, discrimine quadraginta fere annorum falli potuisse, post Naevium, Plautum, Ennium primam fabulam a Livio editam fuisse statuentem? Non videtur: Attio poetae tantam tribuere rerum Romanarum ignorantiam, arrogantis et inepti esse autumo. Neque At-

tium eum, quem tantopere diligeret et ad partes nonnisi summa cum laude vocare soleret, Cicero tam acriter, quamvis errantem, reprehendisset, neque eum, quem ubicunque ei laudandus esset, non sine honorifico titulo *poetae* appellaret, *Attium* simpliciter et nude nuncupasset.

Attamen, hunc de Livio calculum in libris *didascalicon* 1) ab Attio poeta putatum esse qui clamitent credo non defore, ad summorum virorum auctoritatem provocantes, Mercerii in notis ad Nonium p. 233. seq. et Valckenarii ad Eurip. Phoen. p. 365., neque ullum huic calculo proferendo aptiorem reperiri potuisse locum, idque verissimum est, si quidem libri didascalicon scripti sunt a L. Attio poeta, quem ego fortiter dico horum librorum non magis esse auctorem, quam libri *de litteris syllabisque ac de metris* Ennium. Nam huius operis di-

1) Constituenti mihi sic nomen didascalicon librorum, quos alii didascalicorum, alii, quos inter Mercerius not. ad Nonium p. 133., didascalicum librum primum, secundum tertium et sic porro, inscripserunt, facile credo assensuros, qui huius temporis scriptores quantopere libris Graecos praefigere studuerint titulos, recordentur: ex quo studio Laevius *Erotopaegnion*, Virgilius *Georgicon*, Ovidius *Metamorphoseon*, Lucanus *Iliacon* libros; Aurelius Opimius *Pinacem*, auctorum Graecorum more et usu inscripserint. Sic laudantur hi *didascalicon* libri Nonio p. 194, 19. Prisciano p. 603. Charis. p. 195. Corrupta igitur scriptura in Gell. 3, 11. Nonio p. 341, 19. 514; 21. 165, 20. 178, 2. et Charisio p. 114, 31. facillimo negotio restituenda, *didascalicon*. Idem usus ad libros eiusdem auctoris *Pragmaticon* et *Parergon* pertinet: utrumque vocabulum Nonio reddendum p. 156, 5. et p. 61, 24. Sed quaeri fortasse potest, an Graecis litteris omnino vox scribi debeat, διδασκαλικῶν, πραγματικῶν, παρέργων, ac sic uno Prisciani loco hodie editum est. Gellius praefat. p. 6. ed. Gron. *Est qui πραγματικὰ et πάρεργα et διδασκαλικὰ — scripsit.*

dascalici, e quo nonus quidem citatur liber, si ambitum operis, sive argumentum spectes, omnia poesis genera simul adiuncta poetarum Graecorum et Latinorum aetatis computatione complectens: tam vastae et latae eruditionis opus hoc iam Romae tempore, quo Cratete Mallota grammaticae et omnino Graecarum litterarum studium paucis annis ante delatum fuerat, a L. Attio poeta, Romano homine, confici potuisse, pro exiguo cuiuslibet litterarum disciplinae apud Romanos tum amore et raro cultu facile negabis. Longo certe ex tempore Graecis litteris penitus imbutum hominem requirit auctorem hic summae pro illa aetate doctrinae liber, quo de constituenda Homeri Hesiodique aetate, chori negligentiori iam apud Euripidem usu fusius expositum erat, quam quod pro Attii aetatis eruditione, Graecis litteris nondum tam late divulgatis, fieri potuerit. Neque Attii fama, credo, si tale ab eo auctore opus exstitisset prorsa oratione conscriptum, tantopere obscurata esset, ut in Attio nihil praeter eius poeticam virtutem laude praedicaretur. Atque Attium, quem Gellius 3, 3. inter medios grammaticae auctores Latinos, post Attium tragoediarum scriptorem degentes omnes, ut grammaticum recenset, cuius de Plautinarum fabularum authentia pravum reprehendit iudicium, parum probabile videtur eundem fuisse ac Lucium Attium poetam illum clarissimum, quum hic non longe post Plautum vixerit. Attium igitur poetam a didascalicon librorum auctore differre si demonstratum est, maxima eadit suspicio in Nonium p. 165, 20. *Redhostit, redit. Attius Amphitr. — Idem didascalicon lib. 2.,* ubi manus interpolatrix Attii nomen expulit, ex quo si appositum

esset, facillime vera erui posset loci scriptura: reliquit tamen Attii nomen intactum librarius pag. 341, 15. In Gell. 3, 11. ex margine irrepsisse *poeta*, apparet.

Iam vero si, didascalicon librorum Attio poetae abrogatorum qui auctor sit exhibendus, quaeritur; quo minus eiusdem nominis fingam auctorem grammaticum, retinet me altum apud veteres silentium de Attio grammatico, nusquam quod ego sciam commemorato: non tamen potuit obscura esse didascalicon auctoris laus ac fama apud populares. Nullum huius nominis grammaticum novit Suetonius, primarios, qui hac arte apud Romanus excelluerint, viros percensens: at idem de ill. gr. 10. in *Ateium* grammaticum a recentioris aetatis scriptoribus saepius in iudicium advocatum, qui *philologi* nomen praeeunte apud Graecos Eratosthene primus inter Romanos sibi invenisse traditur, multis excurrit, tali modo de eo disserens, ut *Ateii* nomen, ubicunque *Accii*, *Attii*, *Actii* grammaticorum nomina a veteribus auctoribus citata reperiantur, restituendum ducam, etsi liquidis ex historia petitis argumentis evidenter id comprobari nequeat. Sed quae de Ateio ex didascalicon librorum auctore a veteribus relata sint conferenti, de uno eodemque homine facile sententia nascitur. De Ateii aetate in universum ex Suetonii indiciis coniici potest, eum Sallustio et Ciceroni aequalem fuisse: eius autem florem in priorem Ciceronis vitae partem incidere, hinc licet suspicari, quod Cicero Ep. ad Att. 13, 12. *philologi* nomine, quod Ateium Asinius Pollio apud Suetonium adscivisse primum scribat, ut pervulgato iam et omnibus noto vocabulo utatur. Aetatem,

tatem, quam didascalicon auctori constituimus, si spectes, nulla quam Ateii aptior videtur. Quam porro in Sallustio Asinius Pollio reprehendit nimiam priscorum verborum et formularum affectationem, in qua re Ateius ei adiutorium fecerit, etiam in didascalicon librorum fragmentis adeo conspicuam reperimus, ut inde antiquatarum vocum auctoritas recentioribus grammaticae auctoribus saepissime sit repetenda. Eiusmodi est in didascalicis *Redhostire, Inimiciter, Mactare* (pro *praecipitare*); in pragmaticon libris, quos, si didascalicon libri Ateii sunt, eiusdem esse patet, *Perperitudo, Ponderitas,* omnia haec vocabula suis locis citata Nonio. Qua denique ad scribendos didascalicon libros intima Graecarum litterarum cognitione opus esse docuimus, nullum nisi Graecum hominem imbui melius posse dices: atque Ateius Athenis natus fuit, ac de se ipse ad Hermam scribit apud Sueton. l. l. *se in Graecis litteris magnum processum habere, et in Latinis nonnullum.* Eum autem, qui in putanda temporum ratione velut in constituendo primae fabulae apud Romanos actae anno multum laboris consumpsit, insigne historiae indagandae studium adhibuisse apparet, quod in Ateio egregie confirmatum habemus Suetonii testimonio, Sallustium et Asinium Pollionem dicentis *historiam componere aggressos, alterum breviario rerum omnium Romanarum, alterum praeceptis de ratione dicendi* ab Ateio esse instructos. Hinc nescio an e scripturae inter *Actium, Acrum* et *Atium* fluctuantis vestigiis in Cic. de legg. 1, 2, 7., in quo *Macrum* huc usque ex mera Sigonii coniectura natum obtinuit, eruendum recte suspicatus sim *Ateium*. Ceterum *multi-*

plici variaque doctrina censebatur auctore Suetonio, quam in *Hylen* omnis generis cogens octingentos libros edidit. Singuli huius farraginis libri diversis nominibus laudantur, *Glossematum liber*, Festo v. *Ocrem*; *An amaverit Didun Aeneas*, Charis. p. 102.; πίναξ, Sueton. l. l. Ateii nomen restitue Gellii locis, 3, 3. 11. 2) supra laudatis, et 10, 3. Varroni de L. L. 4, 19. p. 28, Bip. Prisciano 1. p. 556, 25., quibus locis lectio variat inter *Accium*, *Attium*, *Actium*, ut olim in Servio ad Virg. Aen. 5, 45., ubi recte hodie *Ateius* legitur. Nec scio an in Priscian. p. 792. sine *Ateii* nominis corruptela legatur *Alpheus philologus*, quum hic *Alphius Avitus* opus suum *Excellentium* dimetris iambicis scripserit, quorum in hoc fragmento apud Prisc., quod ad Alpheum pertinere vix potest, quum locus ibi propter usum verbi *affectari* passivi obsoletum a grammatico allegetur, nullum apparet vestigium: conf. Priscian. 8. p. 823. 12. p. 947. 18. p. 1136. et Terentian. Maur. p. 2437. Mar. Victorin. p. 2585, Wernsdorf. Poet. Lat. Min. T. 3. p. XXXI. seq. Atque hic *Alpheus* (credo *Alphenus*, collato Catull. 30.) non *philologus*, sed fortasse *philomusus* appellabatur, si quidem is idem est, quem exhibet lapis in Marmor. Arundel. CXIX. p. 92. Maittair.

ALFEN . . .

PHILOMVSV . .

---

2) Ateium Capitonem, quem in Plauti comoedias commentatum esse, duo testantur Plinii loca, H. N. 14, 15. et 18, 28., quo minus Gellii locis credam significari, impedit grammaticorum, qui ibi laudantur, familia: omnes enim ibi memorati ante Varronem vixerunt.

Etiam vide an Nostri nomen in Pompeii apospasmate ab Heusingero post Mallium Theodorum prolato p. 64. lateat: *Varro docet in libris, quos ad Actium scripsit, sedecim fuisse* [litteras], *postea tamen crevisse et factas esse viginti tres*, ubi *quos ad Atticum scripsit* legendum et Varronis de vita populi Romani librum, quem ad Atticum scriptum esse testetur Charisius p, 101., intelligendum suaserat Ruhnkenius adprobante nuper Walchio Emend. Livian. p. 173. Hoc autem libro, qui diversi plane argumenti rem amplexus esse videtur, quod ex fragminibus libri hucusque servatis facile colligitur, quomodo litterarum originis doctrina contineri potuerit, neuter explanavit. Sed de Ateio hactenus.

Veniendem tandem ad Joannis Lydi locum quem, quum proxime ad rem scaenicam illustrandum pertineat, praecedenti capite copiosius me pollicitus sum expositurum esse. Legitur is de magistrat. Romanor. 1, 40. Ὁ δὲ μῦθος τέμνεται εἰς δύο, εἰς κρηπιδάταν καὶ πραιτεξτάταν· ὧν ἡ μὲν κρηπιδάτα Ἑλληνικὰς ἔχει ὑποθέσεις, ἡ δὲ πραιτεξτάτα Ῥωμαϊκάς. Ἡ μέντοι κωμῳδία τέμνεται εἰς ἑπτὰ, εἰς πάλλεάταν [sic], τογάταν, ἀτελλάνην, ταβερναρίαν, Ῥινθωνικὴν, πλανιπεδαρίαν καὶ μιμικήν; καὶ παλλιάτα μέν ἐςιν ἡ Ἑλληνικὴν ὑπόθεσιν ἔχουσα κωμῳδία, τογάτα δὲ ἡ Ῥωμαϊκὴν ἀρχαίαν· ἀτελλάνη δέ ἐςιν ἡ τῶν λεγομένων ἐξοδιαρίων· ταβερναρία δὲ ἡ σκηνωτὴ ἢ θεατρικὴ κωμῳδία· Ῥινθωνικὴ ἡ ἐξωτική· πλανιπεδαρία ἡ καταςολαρία· μιμικὴ, ἡ νῦν δῆθεν μόνη σωζομένη, τεχνικὸν μὲν

ἔχουσα οὐδὲν, λόγῳ μόνον τὸ πλῆθος ἐπάγουσα γέλωτι.

Primum quum in codice πραιτέξαντα legatur, sincerius videtur πραιτέξταν corrigere, quae forma reperitur in Horat. ad Pis. 288. Sueton. vit. Persii fine, Fest. v. *Togatarum.* Quaeritur iam, quum ex verbis ταβερναρία δὲ ἡ σκηνωτὴ ἡ θεατρική haud facile sensum elicias sanum, qualis fuerit fabula tabernaria, quod propter penuriam testimoniorum nonnisi divinatione erui potest. Fabularum apud Romanos genera ab his ipsis tum secundum externam formam, cuiusmodi sunt haec Lydo, Diomedi 3. p. 480. 486. Evanthio de tragoed. p. LVI. Donato de comoed. p. LVIII. Westerh. memorata fabularum nomina, distribuuntur, tum secundum indolem earum atque ingenium, unde *motoriae*, *statariae*, *mistae* appellantur. Cf. Evanth. de trag. Donat. ad Terent. Adelph. prol. 6. et de *motoria* idem praefat. ad Phorm., Andr. et Eunuch.; de *stataria* egit Eugraphius ad Heaut. prol. 36 Ab externa fabulae conditione, hoc est a *tabernis*, ubi huiusmodi vilis argumenti comoediae primum agerentur, suspicor *tabernariam* duxisse nomen, quod ipsa fabulae appellatio satis docet, quamquam paullo dissensiat locus admodum corruptus Diomedis 3. p. 486 , cuius verba repetit Rabanus Maurus de art. gramm. 2. T. 1. p. 47. ed. Colon: *Secunda species togatarum, quae tabernariae dicuntur, humilitate personarum et argumentorum similitudine comoediis pares, in quibus non magistratus regesque, sed humiles et privatae domus inducuntur: quae quod olim tabulis tegerentur; communiter tabernariae vocabantur,* Idem pro-

bat Isidorus Orig. 15, 2. p. 1104, 23.: *Tabernae olim vocabantur aediculae plebeiorum parvae et in vicis axibus et tabulis clausae: unde et tabernariae, quod ibi soleant consedere.* Ego potius credam hoc comoediae genus primum a scaena publica sive theatro alienum vel cohibitum, postea vero eius humile argumentnm et stilum, ut dicit Donatus, etiam ad publicos ludos, non mutato *tabernariarum* nomine, translatum esse. Festus, *TOGATARUM duplex genus: praetextarum, hominum fastigio, quae sic appellantur, quod togis praetextis rempublicam administrent: tabernariarum, quia hominibus excellentibus etiam humiles permixti, ut sunt plagiarii, servi denique et cauponae et tabernis honeste prodeant persaepe.* Quae si fere ita sunt, ut dixi, vide an Lydi loco hinc recte coniecerim legendum ταβερναρία δὲ ἡ σκηνωτὴ, οὐ θεατρική. Etiam corruptelae fons patet, quum scribae τὴν σκηνωτήν cum τῇ σκηνικῇ confundentes, τὴν θεατρικήν et σκηνικήν unam atque eandem opinarentur 3).

Quod statim sequitur Ῥινθωνικὴ ἡ ἐξωτική qui sanum credat, vix puto repertum iri: qua ratione enim Rhinthonica fabula nomen proprium *extraneae* nancisci potuerit, quum idem eodem iure *palliatae* convenisset, nemo facile expediet. Loci medicina, quae certissima in promptu est, non nisi ex intima Rhinthonicae fabulae indole, quam propter pauca

3) Quod Reuvensius *Collectan. Litterar.* p. 51. θεατρική pro glossemate habet, id vereor ne cuipiam persuadeat: neque arrisit Censori in Lips. Litt. Ephem. 1816. Nr. 87. p. 692. Quomodo enim κωμῳδία σκηνωτή dici posait, non magis liquet, quam ἢ unde in contexta irrepserit.

veterum testimonia fere ignorari magnopere dolendum, repeti potest. Ab auctore Rhinthone Tarenti oriundo dictam esse docet praeter ipsum nomen etiam Evanthius de trag. l. l. *Rhinthonicas ab actoris nomine;* quem non debebat Cuperus Observ. 1, 10. p. 74. (ed. Lips. 1772.) erroris redarguere, quod fabulam ab actore esse appellatam annotasset; librarius inculpandus erat, minime Evanthius, qui sine dubio *auctoris* scripsit 4). Verbo monendum est, qui Rhinthonem Syracusis natum esse dicant, veluti Fabricium Bibl. Gr. T. 2. p. 320. Harl., unicam ex Nossidis epigr. in Brunck. Anal. T. 1. p. 196. auctoritatem petere, ubi legatur:

> *Καὶ κἄπυρον γελάσας παραμείβεο, καὶ φίλον εἰπὼν*
> *ῥῆμ' ἐπ' ἐμοί. Ῥίνθων εἴμ' ὁ Συρακόσιος.*

Sed contra omnes Tarentinum eum fuisse uno consensu affirmant scriptores, Suidas, Stephanus Byz. v. Τάρας, Hesychius v. Ἀσικτος, Eustathius ad Dionys. Perieg. 976., quos auctores sequi satius videtur; atque eum Tarentina dialecto usum esse, docet Apollonius Dysc. de pronom. p. 364. C. ed. Bekk. Iam Ἱλαροτραγῳδίαν, cuius auctor fuisse Rhinthon dicitur teste Suida v. Ῥίνθων, nomine *Rhinthonicae* apud Romanos appellatam esse, dubitari non potest, quum quae Rhinthonis dramata tragica et comica octo et triginta a Suida memorantur, velut Iphige-

---

4) Emendationem hanc posthac vidi occupatam iam esse a Toupio Emend. Suid. T. 2. p. 136. ed. Oxon. Simile mendum obsidet Gruquii Scholiasten ad Horat. Epp. 2. 1. 98., ubi ad explicandum *tragoedis* perperam legitur *actionibus tragicis* pro *actoribus tragicis*.

nia in Tauris, in Aulide, Telephus a Polluc. 7, 13. 22. 10, 7., Orestes ab Hephaest. de metr. p. 4. ed. Pauv. (p. 9. ed. Gaisford.), Amphitruo ab Athenaeo 3, 76. p. 111. C., Hercules ab eodem 11. 14. p. 500, F. [5]) laudata, neque argumento a vulgato tragoediae et comoediae genere, neque metro, quod in diverbio ut illic iambicum senarium fuisse colligitur ex fragmentis ap. Cic. Ep. ad Att. 1, 20. et Herodian. inedit. apospasmate ap. Valck. ad Phoen. p. 417., discrepasse videantur. Cuius autem generis ἱλαροτραγῳδία fuerit, quam ab ἱλαρῳδίᾳ differre docuit Cuperus l. l., difficile est dictu. Inter utrumque carminis genus id maxime videtur interfuisse, quod ἱλαρῳδίας argumentum mere comicum hilaritate iocorum et lascivis dictis cachinnum ciens (Fest. v. *Hilarodos*), idemque ἱλαροτραγῳδίας fuerit, hoc tamen discrimine, ut in hac vis comica ab argumentis tragicis peteretur, quae ex cothurno in soccum detorta cum parodia deriderentur. Ἱλαρῳδίαν et ἱλαροτραγῳδίαν non idem poesis genus diverso tantum nomine esse eo evincitur, quod alterutrum diversis temporibus originem duxit: illam Aristoxeni iam aetate vulgatissimam fuisse docet Athen. 14. p. 621. C.: Rhintho contra natus sub Ptolemaeo Lagida,

---

5) Fragmentum Rhinthonis ibi laudatum misere corruptum a Schweighaeusero hoc modo editur:

> Ἐν ὑςιακῷ τι καθαρὸν ἐλατῆρα καθα —
> ρῶν τ' ἀλήτων κάλφιτων ἄπεῤῥοφεῖς.

Vide an sic legendum sit:

> Ἐν ὑςιακῷ τι καθαρὸν ἐλατήριον
> καθαρῶν τ' ἀλήτων κάλφιτων ἀποῤῥοφεῖς.

auctore Suida. Neutram Aristoteles novisse videtur, quod ex alto eius silentio in libro de arte poetica intelligitur. Quam diximus esse ἱλαροτραγῳδίας indolem, docet ipsum nomen et nonnulla veterum testimonia, ut Steph. Byz. v. Τάρας. — καὶ Ῥίνθων Ταραντῖνος φλύαξ τὰ τραγικὰ μεταῤῥυθμίζων εἰς τὸ γελοῖον et Eustathius l. l., de Tarento haec narrans: Ἐκεῖθεν δὲ καὶ Ῥίνθων ἦν, ὁ ἐπικαλούμενος φλύαξ, ἤγουν φλύαρος ὑποκοριστικῶς, ὡς τὰ τραγικὰ εἰς γελοῖα μεταῤῥυθμίζων καὶ παίζων ἐν οὐ παικτοῖς, ἀλλὰ φλυαρῶν ἄντικρυς. Adde quae sequuntur in Nossidis epigrammate:

Μουσάων ὀλίγη τις ἀηδονὶς ἀλλὰ φλυάκων
ἐκ τραγικῶν ἴδιον κισσὸν ἐδρεψάμεθα.

Quod ἱλαρῳδίαν Cuperus l. c. p. 76. magis carmen fuisse, quam fabulam suspicatus est, idque saltatione et actione mimica exornatum ab hilarodis decantatum esse, idem de ἱλαροτραγῳδίᾳ sentiendum arbitror, cuius carminis recitatio cum gesticulatione fuisse videtur coniuncta: quale spectaculi genus adamasse Siculos ac Tarentinos, notum est. Maxime autem in eiusmodi carminibus animadvertendus est hexametrorum dactylicorum usus, in Timonis sillis obvius, atque etiam dramati huic concedendus, quod variorum metrorum, maximam partem hexametror. dactyl. carmen fuisse, veri est simile. Cuius fabulae generis fundamenta posuisse videtur Chaeremo in ῥαψῳδίᾳ sua μικτῇ, quae inscripta est Κένταυρος: cf. Aristotel. Poet. 1, 12. ibiq. Herm. Eius drama Athenaeus 14. p. 608. E. πολύμετρον appellat. Sed dramata illa re vera hexametris dactyl. maxima ex

parte composita fuisse docent fragmenta Sopatri, quem φλυακογράφον fuisse tradit Athen. 3. p. 86. [ubi Casaub. perperam φλοιακογράφος]. 14. p. 644. C. p. 656. F. Ex eius fabula Βακχίδος γάμος inscripta citat Athen. 14. p. 656. F.

Εἶπον κλίβανος ἦν πολὺ δέλφαξ σίτευτος ἔτευξεν.

Expuncto πολύ habes hexametrum. Alia fragmenta trimetris iambicis constant. Eius autem dramata fuisse ex genere ἱλαροτραγῳδίας eo colligitur, quod hic Sopater appellatur passim παρῳδός, velut ap. Athen. 4. p. 158. E. p. 175. C., qui cum φλυακογράφῳ idem esse videtur: cf. Fabr. Bibl. Gr. T. 2. p. 492. Harl. Ac παρῳδίαν, quae est comoediae species, carmen fuisse hexametris compositum, docent sat multa exempla ex parodiis variorum poetarum allata Athenaeo 13. 16. fin.; quorum placet emendatiora aliquot apponere Matronis παρῳδοῦ, cuius parodiarum hexametris constantium etiam mentio fit ap. Athen. 3. p. 73. D. 5. p. 183. A. 9. p. 406. F. seq., ubi animadvertendus est Athenaeus Alexidis parodiam vere in theatro actam esse dicens, quod etiam Hermannum ad Aristot. Poet. 2, 5. p. 99. video monuisse. Matronis fragmentum laudatur apud Athen. p. 679. F. ex pag. seq. sic restituendum:

Οἱ μὲν γὰρ δὴ πάντες ὅσοι πάρος ἦσαν ἄριστοι,
Εὐβοιάς τε καὶ Ἑρμογένης Δῖοί τε Φίλιπποι·
οἱ μὲν δὴ τεθνᾶσι καὶ εἰσ' Ἀΐδαο δόμοισιν.
Ἔστι δέ τις Κλεόνικος, ὃς ἀθάνατον λάχε γῆρας.

Paullo ante 2. p. 64. C. edi Casaubonus iussit:

Ἃς ἐν χέρσῳ θρέψε Διὸς παῖς ἄσπετος ὄμβρος
λευκοτέρας χιόνος ἰδεῖν ἀμύλοισιν ὁμοίας.

Lege

Ἃς ἐν χέρσῳ ἔθρεψε Διὸς παῖς ἄσπετος ὄμβρος
λευκοτέρας χιόνος, ἔσθειν δ' ἀμύλοισιν ὁμοίας.

Posteriorem versum ita ipse Athenaeus 4. p. 134. E. citat, quo loco aliisque collatis duplicem vides olim exstitisse Matronis parodiae δείπνου dictae recensionem: sed hoc non huius loci est persequi. Plura Matronis aliorumque parodorum fragmenta hexametra dactylica reperies collecta ab H. Stephano in *Homeri et Hesiodi certamine* 1573. p. 71. seq. p. 111. seq. Eodem metro ut etiam Rhinthonis ἱλαροτραγῳδίαν conscriptam fuisse credam, persuasit mihi alius ex Lydi libello locus 1, 41. Ῥίνθωνα καὶ Ἀσκήραν [6]) καὶ Βλαῖσον καὶ τοὺς ἄλλους τῶν Πυθαγορείων ἴσμεν οὐ μικρῶν διδαγμάτων ἐπὶ τῆς μεγάλης Ἑλλάδος γένεσθαι καθηγητὰς, καὶ διαφερόντως τὸν Ῥίνθωνα, ὅς ἐξαμέτροις πρῶτος ἔγρα-

6) Scripsit Lydus fortasse Ἀρήσαν, qui inter Pythagoreos censetur. Quod Reuvensius l. l. p. 77. seq. Σκίραν, comoediarum auctorem, hic reponendum iubet, vix cuiquam, credo, probabit, quum Lydus e Pythagoreis nonnullos enumeret, qui hexametris placita sua philosophica composuerint, Rhinthonemque insuper laudet, qui hexametris quoque primus comoediam scripserit: nisi Reuvensio Φλυακογράφων pro Πυθαγορείων, quod sequitur, sine iusta caussa corrigenti mavis accedere. Mox Βλαῖσον pro Βλέσον emendavimus, in quod etiam Reuvensius incidit. Rhinthonem inter Phythagoreos numerari, non mirum, quum eum etiam Hesychius v. Ἀστεῖος appellet Ταραντῖνον φιλόσοφον, quod Lydi locus contra Toupium Emendat. Suid. T. 2. p. 137. Oxon. φλυακογράφον reponi suadentem satis tuetur. Concidit hinc etiam Reuvensii explicatio vocum οὐ μικρῶν διδαγμάτων: nec qua ratione διδαγμάτων καθηγητὴς de poematis scaenicis intelligi possent, probavi, quod debebat.

ψε τὴν κωμῳδίαν. De senariis iambicis hoc loco cogitare, ineptum fuerit, neque ita se intelligi voluisse significavit Auctor verbis sequentibus: ἐξ οὗ πρῶτος λαβὼν τὰς ἀφορμὰς Λουκίλιος ὁ Ῥωμαῖος, ἡρωϊκοῖς ἔπεσιν ἐκωμῴδησεν [7]). Post tantas ambages iam hinc vide tandem an quod genus comoediae illud hexametris dactylicis conceptum fuerit, Lydo tanti visum sit, ut loco, unde tota haec disputatio exorta, scriberet Ῥινθωνικὴ ἢ ἑξαμετρικὴ. Qua correctione nullam credo certiorem, etsi in lexicis Graecis vocabulum ἑξαμετρικός frustra adhuc quaesiveris cum multis eius generis aliis [8]).

---

7) In quo summas Reuvensius p. 80. seq. vires intendit, ut Rhinthonem trimetro iambico usum esse demonstraret, vides iam nihil esse effectum. Igitur non erravit Lydus. Ac nostrae potius quam illius sententiae adstipulatur Acro Reuvensio allatus ad Hor. Serm. 1, 10, 64. dicens: *Satyrae: Graeci non scripserunt satyram integram, hoc est heroico carmine, sed miscuerunt cum comoediis,*

8) Hoc vocabulorum genus rem metricam et prosodicam spectans a lexicographis plane neglectum est. Indicabo aliquot Schneideri operi addenda: * Ἀναπαιστικός: Schol. Sophocl. Ai. 1389. Electr. 86. 120. Erf. alibi. Ἀντιδάκτυλος: Diomed. 3. p. 455. [Addo: Ἀντιγραφεύς: Demosth. adv. Androt. p. 615. Pollux 8, 98. ibiq. Iungerm. Gramm. in Bekk. Anecd. Gr. T. 1. p. 185. Ἀντιδιασταλτικῶς: Apoll. Dysc. de pron. p. 433. Bekk. Ἀντικάμπτω: Manuel. Phil. 8, 89. Wernsd. Ἀντίμηλος: Dioscorid. 4, 76. † Ἀντιπελάργωσις: vid. Schneid. et Isidor. Gloss. p. 3. *Antipelargosin dicunt Graeci talionem.* Ἀντιπεριηχέω: Plutarch. de garrulit. 1. T. 2. p. 502. Ἀντιπλαγιάζω: Lyd. de magistr. Rom. 3, 37 p. 214. Ἀντιπαρεμβατικός: huius tituli comoediam Dexippus scripsit. Cf. Fabric. Bibl. Gr. T. 2. p. 436. Harl. Ἀντιστοιχείωσις Schol. Br. Iliad. μ. 20. Ἀντιταλάντωσις: Olympiodor. ad Plat. Phaedon. 60.] Δισύσημος: Aristid. Quint. de mus. 1. p. 35. Διπενθημιμερής: Schol.

Ad vocabulum καταςολαρία Fussius *quid sit se nescire* annotavit: nec facile est aliquid scire, quum

---

Soph. Ai. 192. [Διλήκυθος: Schol. Eurip. Or. 465. Δίπλευρος: Donat. Terent. Adelph. 3, 2, 43. Διπολίτης, Maneth. 5, 293. Διτακτικῶς: Schol. Eur. Or 631. Διτράλιον: Schol. br. Iliad. ψ, 856. Διφθογγογραφέω: Schol. Soph. Ai. 693. Διχόγνωμος: Schol. Eur. Or. 880. 888. Διχότομος: Soph. fr. Ἀχιλλ. ἐραστ. III. Br.] Δωδεκάσημος: Aristid. Q. p. 34. [Δωδεκάτροπος: Salmas. de annis climacter. p. 87.] Εἰκοσιπλασίων: Schol. br. Iliad. χ, 349. Ἑκκαιδεκασυλλαβικός: Schol. ap Bentl. ad Callim. Ep. 39. Ἑκκαιδεκασύλλαβος: Hephaest. de metr. p. 60. ed. Gaisford. Ἑξάβραχυς: Schol. Soph. Antig. 1245. 1302. Ἑξάσημος: Aristid. Q. p. 35. Hephaest. p. 78. Schol. Heph. p. 163. Schol. Soph. Ai. 1174. Ἑξασύλλαβος: Schol. Soph. l. l. et Antig. 1256. 1302. Schol. Eur. Or. 316. Ἐπιχοριαμβικός: Hephaest. p. 78. Schol. Soph. Ai. 684. Elect. 1242. et Eur. Hec. 647. Ἑπτάσημος: Heph. l. l. Aristid. Q. p. 35. Schol. Soph. Ai. l. l. [† Ἑπτάμυχος: inscribebatur ita Anaximandri liber. Cf. Krug Gesch. d. Philos. alter Zeit p. 79.] Ἑπτάστροφος: Heph. p. 134. [Καλόστροφος: Glossar. MS. Voss. in Ruhnken. Ep. ad Ernest. p. 103. ed. Tittm.] Ἰσοσυλλάβως: Eustath. ad Iliad. p. 1017. Ἰσοχρόνως: Sext. Emp. adv. Matth. p. 122., ubi mendose bis ἰσοχρόνως. [Ἰσημέριος: Sophocl. fr. inc. 34. Ἰσόπλατος: Hesych. v. Ἀντίπλατον. Ἰσοῤῥεπής: Schol. br. Iliad. ν, 333. formatum ut ἑτεροῤῥεπής in Aeschyl. Suppl. 399.] Κακόσημος: Schol. Antig. 1001. [Κακοθέμιος: Tzetz. proleg. ad Hesiod. pag. 8. ed Bas. 1542. Κακόθυρσος: Schol. Eur. Or. 1492. Κακολιμένιστος: Schol. Soph. Oed. T. 422. Κακοσυνθέτως: Schol. Eur. Hec. 801. Κακόφθογγος: Procl. ad Hesiod. O. 54. Κακόφραστες: Schol. Eur. Or. 673.] Μεταῤῥυθμιστής: Tzetz. ad Hesiod. Op. 42. Schneiderus notavit μεταῤῥυθμιστής, quod nihili est. Μονοχρονέω: Charax in Hort. Adon. p. 226. b. Ὀκτωκαιδεκάσημος: Arist. Q. p. 35. Πεντάσημος: Arist. Q l. c. Schol. Soph. Ai. 684 *pentasemus* Quintilian. Inst. 9, 4, 51. Πεντεκαιεικοσάσημος: Aristid. l. c. [Πεντεβάμιος: Poeta ap. Heph p. 42] Τετράσημος: Aristid. p. 35. 36. Schol. Heph. p 163. Quintil. l. c. Martian. Capell. 9. de dactyl. gen. p. 331. Grot. Τριχρονέω: Cha-

vox ex hoc primum loco lexicis addenda aliorum, quod ego quidem sciam, exemplorum auctoritate careat. Quo magis in eiusmodi locis interpretandis divinatione opus, eo benignior divinatoris errori condonanda est venia, quod in penu habeat, timide exprom̃entis. Auctor est Festus v. *Ricinium* mimos planipedes ricinia sive ricas, id est togas clavo purpureo praetextas gestasse indeque *riciniatos* esse appellatos: adde eundem: *ORCHESTRA locus in scena, quo antea, qui nnnc planipedes appellantur, non admittebantur histriones, nisi tantum interim dum fabulae explicarentur, quae sine ipsis explicari non poterant: ricinia autem portabant, quo nequiori* [9] *habitu prodirent, atque ut inde nomen ducerent.* Etiam palliatos dici mimos Scaliger ad Fest. v. *Ricinium* annotavit. Igitur si riciniatos dictos esse patet planipedes, non male nobis suspicari videmur, etiam fabulam, quam agerent riciniati, *riciniatam* esse appellatam, etsi exemplum huius nominis frustra a nobis adhuc quaesitum sit. Quum autem nomen *ricinii* sive *ricae* non solum de tenui capitis cingulo muliebri, sed etiam de tunica, vel de stola usurpetur, vide an *καταστολαρία*

---

rax l. c. [*τρίβωμος*: Gruter. Inscr p. LXXI. bis. *Τρικορύσιος*: Menander ap. Suid. v. *Τρικορυσία*. *Τριόροφος*: Schol. Eur. Phoen. 90. *Τριφάληρος*: Lex. Coisl. p. 464. *Τριφυλακτός*: Schol. br. Iliad. *κ*, 252.] *Χοριαμβικός*: ubivis obvium.

9) Pro *nequiori* Godofredus *aequiore* edidit: ego *nobiliori* scribendum puto. *Ricinium* enim genus erat vestimenti splendidum et pretiosum, ut ex Fest. h. v. liquet, et ex Arnob. adv. Gent 6, 35. p. 204. Canter. Cf. Ferrar. de re vest. 1, 25. Ruben. Elect. 1, 7. Salmas. ad Vopisci Aurelian. 45. p. 541.

plane voci *riciniatae* respondeat. Ceterum lexica Latina ex Lydi loco vocem *Planipedarius* lucrantur, firmatam Diomede 3. p. 487.

Ut denique ad finem loci nostri Lydiani examinandum properem, brevibus monendum, λόγῳ non cum verbis, quae sequuntur μόνον τὸ πλῆθος etc., ut editum a Fussio, sed cum antecedentibus iungendum esse. Haec omnia tandem si colliges, postrema Lydi verba huiusmodi intelliges concinnanda esse: *ταβερναρία δέ ἐστιν ἡ σκηνωτὴ, οὐ θεατρικὴ κωμῳδία· Ῥινθωνικὴ ἡ ἐξαμετρική· πλανιπεδαρία ἡ καταστολαρία· μιμικὴ ἡ νῦν δῆθεν μόνη σωζομένη, τεχνικὸν μὲν ἔχουσα οὐδὲν λόγῳ, μόνον δὲ τὸ πλῆθος ἐπάγουσα γέλωτι.*

CAPUT QUINTUM.

De Medeis, Euripidis et Ennii tragoediis.

Exstitit inter viros doctos diu iam controversia conflictantes, utrum Ennii Medea una fuerit, an duplex, alterutra ex altera et diversi quidem argumenti Euripidis fabula eiusdem nominis conflata. Posterioris sententiae assertores inter praestantissimos viros sunt reperti Columna, Vossius, Scaliger, P. Manutius, Scriverius, alii, qui quum nonnulla ex Ennii Medea, quam accurate conversam esse Latine ex Euripidea tragoedia conferenti facile elucet, loca aliaque ex ipsa Graeca fabula a scriptoribus laudari intelligerent, quae in Graeca superstite frustra quaesita essent, huic sententiae suum facile addiderunt calculum, duas composuisse Ennium *Medeas*, diversas ex Euripidis diversis duabus fabulis translatas. Confirmari eorum opinio eo videbatur, quod etiam a grammaticis Ennii fabula modo *Medeae* nomine, modo *Medeae exsulis* (quamvis hoc duobus tantum locis apud Nonium , appellata esset: cui tamen argumento non multum erat tribuendum, quum si fin-

gas Ennianam fabulam fuisse inscriptam *Medeam exsulem*, eam simplici *Medeae* nomine grammaticis citari nihil mirandum sit. Verum illius de duplici eaque diversa fabula Medea sententiae ipsi hi viri non claram sibi videntur notionem informasse, Ennii duplicem hanc fabulam modo ex duplici Euripidis, modo ex huius nominis tragoediis Euripidis et Neophronis, vel etiam iunioris aetate cuiusdam Euripidis fluxisse dicentes, quippe quum utrumque etiam Medeas composuisse, auctorum, quamvis non certissimorum, iudiciis traditum esset. Primus, ni fallor, sententiae auctor exstitit P. Manutius, qui ad Cic. Ep. ad fam. 7, 6. duas Euripidem Medeas, duas inde Ennium scripsisse suspicabatur: cuius sententiam, ab aliis propagatam, ut refutaret Planckius, prooemio ad Ennii Medeam copias paravit tam infirmas et exiguas, ut dum pugnare sibi videretur, suis ipse armis expugnaretur. Manifestum autem testimonium, quo diversas duas fecisse fabulas Medeas Euripidem evincatur, quum adhuc desideretur, etiam de duplici Enniana fabula opinio P. Manutii tota concidit. Manutii argumenta se reiecisse Planckius confisus, eam proposuit sententiam, unam tantum scripsisse Ennium huius tituli fabulam, quoniam propre omnia, quae ex hac tragoedia nostram tulissent aetatem, in Euripidea sedem reperiant, eumque ea quae unde translata sint, indicari nequeat, pro licentia sua Graecas convertendi fabulas et ingenii fecunditate de suo ipsum adiecisse. Verum enim fragmenta haec Ennii, quibus in Euripidea fabula locus designari non potest, tanta sunt tamque diversas fabulae invehunt res atque argumenta, ut Ennii, qui singula Graeci exemplaris loca verbis exaggerare, non item

novis

novis fabulae additis argumentis augere solet, licentiae commode tribui non possint. Manutii igitur et Planckii sententia quum neutra satis probabilis visa esset, tota res nobis de Ennii Medea scripturis denuo retractanda fuit, ut quod de Ennii translatione iudicium ferendum esset, tandem constaret. Ab Euripidea fabula quum Ennii tota pendeat, quid de illa duplici sit statuendum, primum debet accuratius explorari.

Caussam de duplici Euripidis fabula iudicatam certissima Boeckhii demonstratione de Trag. Graec. princip. 13. denuo subiicere iudicio Hieronymum Muellerum libro *Medea, eine Tragödie aus dem Griechischen, übers. und mit einigen Abhandl. begleitet. Erfurt* 1810. inscripto, non possum satis mirari, praesertim quum is totam nostram Euripidis Medeam pro Neophronis opusculo venditare maximo studio enitatur. Summus enim ille vir evidenter comprobatum dedit, neque eos, qui de Neophronis opere, nec qui de Euripidis iunioris cuiusdam fabula hariolati sint, rem probe perspexisse; sed duplicem hanc Medeam esse idem Euripidis maioris opus, bis ab auctore ipso editum, alteraque recensione refictum ac secundis curis perpolitum; extremam maxime tragoediae partem posteriori editione ab auctore retractatam, emendatam ac nonnunquam plane immutatam esse: qua fabulae regione unica manum alicuius interpolatricem grassatam esse nuper quum statueret Censor Mulleriani libelli in Ephem. Litt. Ienens. 1813. Nr. 240. p. 420., falsus est. Omnino neque huic censori, neque ipsi Muellero, si quae a Boeckhio paucis annis ante dicta sunt, novissent, de expedienda tota re tantopere fuisset

laborandum. Ut quid de Neophrone sentiam, statim pronunciem, quod Diogenes Laert. 2, 18, 10. et Suidas v. Νεόφρων, unde sua ad verbum hausit Eudocia Violar. p. 310., Euripidis Medeam inter Neophronis scripta a nonnullis numerari tradit, mera mihi quidem confusio esse videtur, inde orta, quod Neophronem etiam Medeam fabulam atque eiusdem Euripidei argumenti scripsisse animadverterent: quam tamen plane diversam a nostra Euripidea esse, testatur, quod ex ea superest, fragmentum apud Schol. Eurip. Med. 666. egregiis Valckenarii ad Phoen. 709. curis restitutum. Memoria autem fallitur vir eximius, hoc unicum ex Neophronis Medea conservatum esse fragmentum dicens. Ab eodem Schol. ad. v. 1387. citatur:

Τέλος γάρ αὐτὸς ἐχθίω μόρον φθερεῖς,
βροχεῖον ἀγχόνης ἐπισπάσας δέρῃ·
Τοία σε μοῖρα τῶν κακῶν ἔργων μένει·
διδάξεις δὲ τ' ἄλλους μυρίους ἐφημέρους,
θεῶν ὑπέρθε μήποτ' αἴρεσθαι βροτούς.

Βροχεῖον ἀγχόνης est quod Euripides Helen. 686. Matth. ἀγχόνειος βρόχος dicit: vocabulum βροχεῖον ex hoc loco nunc primum lucrantur lexica Graeca. Quartum versum ita restituo:

Δείξεις δέ τ' ἄλλοις μυρίοις ἐφημέροις.

Adde fragmentum ap. Stob. Flor. p. 107. Grotii.

Immutatae ab auctore fabulae caussis a Boeckhio indicatis hanc praecipue arbitror addendam esse, Euripidem iterata fabulae editione acerbos Aristophanis, quem Pluto Medeam maxime eludendam sibi sumpsisse mox docebitur, sales et derisiones ita lo-

cis, in quos comicus calumniose invectus esset, mutandis retractandisque studuisse evitare. Quam ob rem factum, ut Euripides multa in posteriori editione omitteret, quae locum in priori habuerunt, quod Boeckhius p. 171. insigni commonstravit exemplo. Ceterum ex invidiosis Aristophanis in Medeam dictis argumentum ad tempus, quo posteriorem Euripides fabulam ediderit, indagandum peti potest: manifestum enim eam inter olymp. 92, 4., quo anno Aristophanis Plutus primum acta, et olymp. 93, 3., quo Euripides diem obiit supremum, editam esse.

Iam utra fabulae recensio nostram adusque aetatem pervenerit si quaeritur, neminem non utriusque conditionem consideranti probabile videbitur, posteriorem nobis esse conservatam. Atqui nonnulla quum fabulae ei, quam manibus terimus, loca insint, quae in priori editione manifeste obtinuisse docuit Boeckhius, in posteriori propter immutatum fabulae exitus argumentum necessario delenda, veluti v. 1378. 1380. Pors. (vd. Boeckh. p. 167.): non sine caussa superstitem suspicamur fabulam ex utraque recensione esse conflatam, utramque recensionem opera interpolatoris in unum corpus congestam: quod saepius in scriptis veterum, ubi grammatico cuipiam duplex eiusdem libri ab auctore instituta recensio offerretur, factum esse observatum est, et in Aristophanis Pluto et Nubibus potest demonstrari. Huic coniecturae stabiliendae aliud accedit argumentum. Simile enim veri non videtur, Euripidem suae fabulae prioris loca ab Aristophane acriter tentata et castigata in posteriori, non immutasse aut omisisse,

plurima, praesertim quum id aliquot locis posterioris fabulae studiose eum fecisse, ut Aristophan. calumniam inversa vulgata scriptura effugeret, egregie demonstraverit Porsonus ad v. 300. At plura loca, quae a comico perfricata esse infra elucebit, in nostra Medea leguntur: Euripidem, cui ne repetitis illis ad verbum locis palam elusis populo audienti vel legenti risum ac cachinnum moveret, dum tragicum et severum ageret, cavendum erat, haec loca, quum denuo opus retractaret, non mutasse dicis? Non videtur. Mecum si consentis, utramque recensionem in unum corpus manu interpolatoris compactam esse contendenti, omnia quae cohaerere nunc non videntur, habes concinna et expedita. Utramque autem Medeae recensionem diasceuastae manum antiquo satis tempore iam ante Aristotelis aetatem perpessam esse, docent verba Auctoris argumenti ap. Brunck. Τὸ δρᾶμα δοκεῖ ὑποβαλέσθαι γενναιοφρόνως διασκευάσας, ὡς Δικαίαρχός τε περὶ τοῦ Ἑλλάδος βίου καὶ Ἀριστοτέλης ἐν ὑπομνήμασι: quam ibi memoratam διασκευὴν nolim cum Boeckhio p. 165. Euripidis ipsius intelligere, sed sequioris potius cuiusdam interpolatoris, quum hanc fabulae retractationem si ab Euripide factam dicere voluissent Dicaearchus et Aristoteles, ipsum Euripidis nomen ut auctoris et diasceuastae non tacuissent. Utramque tamen ab ipso auctore editam fabulae recensionem Aristotelis adhuc aetate exstitisse atque utraque hunc usum esse, docent eius verba de Arte poet. 14, 12. καθάπερ καὶ Εὐριπίδης ἐποίησεν ἀποκτείνουσαν τοὺς παῖδας τὴν Μήδειαν, quae ad posteriorem spectant, et 18, 12. φανερὸν οὖν ὅτι καὶ τὰς λύσεις τῶν μύθων ἐξ αὐτοῦ

δεῖ τοῦ μύθου συμβαίνειν, καὶ μὴ ὥςπερ ἐν τῇ Μηδείᾳ, ἀπὸ μηχανῆς, quibus priorem recensionem respexisse Aristotelem ostenderunt Boettigerus *de Medea Euripidea cum priscae artis operibus comparata p. VIII.* Boeckhius p. 169. seq. Muellerus, eiusque censor p. 412. seq.

Ita mecum si posueris, Medeam nostram ex utraque Euripidis recensione esse manu interpolatrice consarcinatam, patet etiam qui factum sit ut iidem versus, quos in singula quaque fabulae editione Euripides semel posuerat, in nostra superstite bis hodie reperiantur, quod etiam Boeckhius p. 248. et 249. in duobus Medeae locis annotavit. Eiusmodi est v. 1321.

θεοῖς τε κἀμοὶ, παντί τ' ἀνθρώπων γένει

qui ante Brunckium etiam post v. 468. legebatur, quo eum in suo codice reperisse videtur Auctor Χρισ. πασχ. 286. Alterutro tantum loco Euripides in utraque editione eum admiserat.

V. 379. 380. 381.

πότερον ὑφάψω δῶμα νυμφικὸν πυρὶ
ἢ θηκτὸν ὤσω φάσγανον δι' ἥπατος,
σιγῇ δόμους εἰςβᾶσ', ἵν' ἔστρωται λέχος.

Ad verba ἢ θηκτόν Scholiastes annotat: ὧδε καλῶς κεῖται. Δίδυμος σημειοῦται, ὅτι κακῶς οἱ ὑποκριταὶ τάσσουσιν ἐπὶ τῶν β τὸ Σιγῇ δόμους εἰσβᾶσα καύσω, ἢ σφάξω αὐτούς. Versum 381. Σιγῇ δόμους etc. post v. 357.

οὐ γάρ τι δράσεις δεινὸν, ὧν φόβος μ' ἔχει

ab actoribus imperite intrusum esse idem Didymus

monuit apud Schol. ad 537., cuius verba a Valcken. ad Phoen. 1286. p. 382. emendata haec sunt: *Δίδυμος μετὰ τοῦτον φέρει τό·*

σιγῇ δόμους εἰσβᾶσ', ἵν' ἔστρωται λέχος.

Hinc Didymum suo exemplari hunc versum, cui semel tantum locus in fabula dari poterat, invenisse repetitum certo colligitur. Quod autem Didymus actoribus hoc insertum imputat, interpolationi tribuere equidem malo grammatici, qui quod utraque Euripides editione semel, at diversis locis, posuerat, utroque loco repetiit. Ab histrionibus enim ex Didymi sententia, quam etiam Valckenarius l. l. secutus est, profectum esse hunc versum eam ob caussam credibile non videtur, quum versibus alia ex fabula, non ex eadem, quam acturi sint, decerptis fabulam adaugere actoribus licuerit agendam. Histrionum contra interpolatione v. 1026.

ἄλλως δ' ἐμόχθουν καὶ κατεξάνθην πόνοις

ex Troad. 777. Seidl.

μάτην δ' ἐμόχθουν καὶ κατεξάνθην πόνοις

illatum esse existimo. Uter versus interpolationi tribuendus esset, fluctuabat Valckenarius ad Phoen. 1152. et cum eo Boeckhius p. 16.: equidem Medeae ex Troadibus intrusum eum suspicor, quum Euripidem versus duos deinceps vocabulo *ἄλλως* inchoasse veri simile non videatur. Sed vide an versu ex Troadibus *μάτην* ex glossa pro *ἄλλως* irrepserit, quod passim factum esse exemplis docuit Ruhnkenius ad Tim. p. 198. seq. Atque iisdem fere verbis poeta noster in Hippol. 301.

γυναῖκες, ἄλλως τούσδε μοχθοῦμεν πόνους.

Eadem corruptela citat ex Aristophane Gregorius Cor. p. 71. Sch. *μάτην ἄρα τὴν ὁδὸν ἀνύτομεν*, quae verba in Avibus 4. ita leguntur *ἄλλως τὴν ὁδὸν προφορουμένω*. Id quod de illo v. 381. Σιγῇ etc. suspicati sumus, etiam in v. 40.

μὴ θηκτὸν ὤσῃ φάσγανον δι' ἥπατος

et 380.

ἢ θηκτὸν ὤσω φάσγανον δι' ἥπατος

cadere videtur. Alterutrum in alterutra recensione semel poeta adhibuit: neutrum perire passus est grammaticus. Priorem Valckenarius Euripidi abiudicans cum sequenti histrionum malevolentiae tribuebat.

Qui post v. 775. in omnibus codd. et editt. praeter unum Flor. legebatur versus:

γάμους τυράννων, οὓς προδοὺς ἡμᾶς ἔχει.

a Porsono, cui auctor erat Valck. ad Phoen. 1286. p. 382., eiectus ut ex verbis antecedentibus confictus, ab hoc loco sane alienus, nec tamen non Euripidis, ex altera editione huc traductus esse videtur. Idem ferendum est iudicium de v. 784.

λεπτόν τε πέπλον καὶ πλόκον χρυσήλατον,

qui v. 945. repetitur. Utroque loco codices *πλόκον* et *στέφος* praebent: quid Euripides scripserit, difficile est dictu, quum eum utraque voce usum esse potuisse eluceat ex v. 980. 1157. et 1183. Semel vero versum hunc ab eo adhibitum esse apertum. Eandem originem duxit qui v. 782. praecedit a Valcken. l. l. proscriptus, a Porsono plane expunctus:

νύμφῃ φέροντας, τήνδε μὴ φεύγειν χθόνα.

Hic versus, qui altera in editione circa v. 943. et seq. locum habebat, ab interpolatore huic loco imperite illatus est. — Quos duos versus vulgo sequentes post v. 1002.

τί σὴν ἔστρεψας [sic Pierson.] ἔμπαλιν παρηΐδα,
κοὐκ ἀσμένη τόνδ' ἐξ ἐμοῦ δέχει λόγον

Porsonus suadentibus Valckenario et Piersono Veris. 1, 5. p. 59., quos secutus est etiam Boeckhius l. l., ut expressos ex v. 919. 920.

στρέψασα λευκὴν ἔμπαλιν παρηΐδα,
κοὐκ ἀσμένη τόνδ' ἐξ ἐμοῦ δέχει λόγον

spurios censuerunt, superiori loco abfuisse non posse persuasum habeo tum propter loci sensum tum quod duos hos versus cum antecedenti ex adverso opposuisse poetam credibile sit tribus illis, qui praecedant, 998. 999. 1000. tanquam ex antistrophicorum lege. In in altera editione hinc suspicor illos tres versus a v. 1002. seq. locum habuisse, at v. 919. et 920. defuisse: in altera affuisse v. 919. et 920., duos vero illos post v. 1002. vulgo insertos, alio colore expressos fuisse. Utriusque autem recensionis lectiones interpolatorem nil mirum retinuisse. — Hinc quomodo acciderit ut versus 1058. 1059.

πάντως σφ' ἀνάγκη κατθανεῖν· ἐπεὶ δὲ χρή,
ἡμεῖς κτενοῦμεν, οἵπερ ἐξεφύσαμεν

post v. 1236. in codd. iterentur, neutro loco si sensum spectes plane inepti, satis apparet. Interpolator quum hos versus, quos uno tantum loco poeta admiserat, in utraque recensione, at diversis regionibus, collocatos reperiret, neutro eos plane omittendos duxit. Priori loco ex posteriori eos illatos Piersonus. l. l. putabat: contra Porsonus.

Ac vestigia duplicis recensionis in ipsa insigni lectionis varietate conspiciuntur, quam aliter haud facile explices. Quam ad confirmandam sententiam singula aliquot loca, quibus perspicua duplicis recensionis indicia adhaerent, perlustrare operae pretium est visum, praemissis nonnullis Aristophanis locis, quibus Medea Euripidis manifeste iuguletur, V. 169.

Κλύεθ' οἷα λέγει κἀπιβοᾶται
Θέμιν εὐκταίαν.

Arist. Plut. 601.

Ὦ πόλις Ἄργους, κλύεθ' οἷα λέγει

Equit. 806.

Ὦ πόλις Ἄργους, κλύεθ' οἷα λέγει

ubi Scholiastes ex Euripidis Telepho priorem delibatam esse versus particulam, posteriorem autem ex Medea annotavit.

V. 625.

ἴσως γὰρ οἶμαι, ξὺν θεῷ δ' εἰρήσεται.

Comparavit Valckenarius ad Phoen. 615. p. 294. ex Pluto 114.

οἶμαι γὰρ οἶμαι, ξὺν θεῷ δ' εἰρήσεται.

Prius hemistichium idem Valck. ad Med. 912.

οἶμαι γὰρ ὑμᾶς τῆσδε γῆς Κορινθίας

refert, ubi lectum olim fuisse credit:

οἶμαι γὰρ οἶμαι, τῆσδε γῆς Κορινθίας.

V. 1176. 1177.

ἅπασα δὲ
τέγη πυκνοῖσιν ἐκτυπεῖ δρομήμασιν.

Aristophanes Pluto 758. 759.

ἐκτυπεῖτο δέ
ἐμβὰς γερόντων εὐρύθμοις προβήμασιν.

Hemsterhusius iam hunc locum ex tragoedia aliqua, cuius notas gerat comicus, procul dubio derivatum esse divinaverat. In Medeae prioris contextu fuisse lectum videtur:

ἐτυπεῖτο δὲ
ἐμβὰς γεραιᾶς εὐρύθμοις προβήμασιν.

V. 1358.

οὐ παῖδας, οὓς ἔφυσα κἀξεθρεψάμην

Arist. Pac. 630. Inv.

ἐξέκοψαν, ἣν ἐγὼ 'φύτευσα κἀξεθρεψάμην.

V. 1358.

καὐτή γε λυπεῖ, καὶ κακῶν κοινωνὸς εἶ

Lysistrat. 893.

κἀμέ τ' ἄχθεσθαι ποιεῖς,
καὐτή τε λυπεῖ.

Euripidis Medeam etiam post acerbissimum hunc comicum recentioribus comoediae auctoribus, veluti Philemoni, Eubulo, Platoni, Machoni, derisui fuisse Porsonus ostendit singulis locis ad v. 57. 396. 476. 1343. Eodem etiam ipso anno, quo Euripides diem obiit, Aristophanes Medeae initium elusit in Ran. 1419.

Ipsius duplicis recensionis indicia in lectionis varietate haec deprehendere mihi visus sum: v. 30.

ὦ μάστοτε στρέψασα πάλλευκον δέρην

Pro δέρην Paris. κάρα, quod ex Hecub. 504. illatum censet Porsonus: sed docto admodum opus fuerit scriba.

V. 58.

λέξαι μολούσαν δεῦρο, δεσποίνης τύχας

Sic Lascaris, Cod. Augustanus Schol. Phoen. 1.: Juntina scholiorum editio δεσπότη. At MS. omnes pro δεσποίνης praebent Μηδείας, quod in suo codice etiam Ennius *Medeai miserias* transferens reperit.

V. 95. seq.

δύστανος ἐγὼ, μελέα τε πόνων
ἰώ μοί μοι, πῶς ἂν ὀλοίμαν

Comicus in Pace 1007. seq.

κἆτα Μελάνθιον
ἥκειν ὕστερον εἰς τὴν ἀγορὰν
τὰς δὲ πεπρᾶσθαι· τὸν δ' ὀτοτύζειν,
εἶτα μονῳδεῖν ἐκ [τῆς] Μηδείας·
ὀλόμαν, ὀλόμαν ἀποχηρωθεὶς
τὰς ἐν τεύτλοισι λοχευομένας.

Ad haec Schol.: Μή ποτε ἐκ τῆς Εὐριπίδου Μηδείας παραγράφει ἐκεῖνα·

Ὦ δύστανος ἐγὼ, μελέα τε πόνων
πῶς ἂν ὀλοίμαν.

[Ὦ perperum ab aliquo librario additum.] Pergit: οἱ δὲ αὐτοῦ τοῦ Μελανθίου φασὶν εἶναι Μήδειαν ἐξ ἧς ταῦτα. Sed unde ad Melanthii Medeam interpretum antiquiorum opinio delapsa sit, ex ipso Aristophanis loco cognoscitur; ac vereor ne tota Melanthii Medea, cuius nulla usquam ab aliis auctoribus mentio iniicitur, hinc originem duxerit. Aristophanes enim ubi Euripidis Medeam citat, simplici Μηδείας nomine

advocare solet. Quod igitur comicus ὀλόμαν, ὀλόμαν carpit, in priori Euripidis editione lectum puto, ubi fortasse scriptum erat hoc modo:

δύστανος ἐγὼ, μελέα τε πόνων,
ὀλόμαν, ὀλόμαν, ἰὼ ἰώ μοί μοι

Melanthio, quem idem Av. 151. μαλακίας et ὀψοφαγίας criminatione perstringit, idem vitium exprobrare etiam hoc loco videtur voluisse. De eius mollitie aliorum quoque comicorum 1) salibus elusa cf. Schol. Av. l. l. et Pac. 804. Quomodo ille e Pace locus intelligendus sit, iam Scholiastes Ravenn. ad v. 1006. bene ostendit his verbis: καὶ τούτους [Morychum, Teleam, Glaucetem] ἀεὶ απεῖναι βούλεται τῶν ὄψων· διὰ τοῦτο αὐτοὺς κολάζει ὡς γαστριμάργους· ὥς φησιν ἐν τοῖς Ἀχαρνεῦσιν. νῦν δὲ οὐκ οἶδα, ὅπως τὸ ε.... ἴσως οὖν [f. ἐν] τῇ παρουσίᾳ τούτων Μελάνθιον λυπῆσαι βούλεται ὄντα καὶ αὐτὸν λίχνον [sic lacúna explenda]. ἦν τραγῳδίας ποιητὴς, ὡς προείρηται. Nihil igitur hic de Medea Melanthii. Illo autem Aristophanis loco, ut hoc adiiciam, scribendum videtur ὀλολύζειν, ut Schol. Rav. et Biset. quoque legisse manifestum est ex eorum vocabuli interpretatione θρηνεῖν. Eadem vox contra Matthiaeum in Eurip Helen. 370.

βοὰν, βοὰν δ' Ἑλλὰς
κελάδησε κἀνωτότυξεν

edentem defendenda est propter simillimum locum in Troad. 1009. Seidl. (992. Matth.)

1) Prior Calliae fragmenti versus huc pertinens, quem Schol. ad Av. l. l. laudat, sic legendus:

τί ἄρα; τοὺς Μελανθίους τῷ γνώσομαι;

Vulgo τίς ἄρα τοὺς M. etc.

τὶς Σπαρτιατῶν ἦλθεν ἢ ποίαν βοὴν
ἀνωλόλυξας Κάστορος ναΐου

ubi nulla lectionis varietas.

V. 106.

ὡς τάχ' ἀνάψει
μείζονι θυμῷ

Plurima codd. pars, Schol. et marg. Lasc. ἀνάξει. Eadem scripturae varietas v. 1379. recurrit, ubi v. Porsonum.

V. 256.

βίου τ' ὄνησις καὶ φίλων κοινωνία

Sic Ms. Paris. Reliqui codd. et editt. omnes συνουσία, quod non deterius.

V. 280.

ἐχθροὶ γὰρ ἐξιᾶσι πάντα δὴ κάλων

Editt. Turnebi, Stephan., Johns., Schol. Soph. Ai. 1032. E. pro ἐχθροί exhibent θνητοί, quod Euripidi quidem, non item eius auditoribus placere poterat.

V. 294.

φεῦ, φεῦ·
οὐ νῦν με πρῶτον, ἀλλὰ πολλάκις, Κρέον
ἔβλαψε δόξα, μεγάλα τ' εἴργασται κακά.

Quod pro δόξα Stobaeus Flor. p. 143. Grot. γλῶσσα citat, non erat a Porsono plane reiiciendum; a metro certe non habet offensionem, quum quam Porsonus ad Hecub. 302. Davisii canonem secutus regulam statuit, Erfurdtius ad Sophocl. Ai. p. 620. et Antig. p. 265. bene impugnaverit. Cf. Lobeck. ad Ai. p. 388. seq. De ἀκμὴν vd. Brunck. ad Soph. Ai. 911. E.; νύμφη, cf. Herm. de metr. p. 100. De ὕμνος nota res est: vd. Pors. ad Med. 441.

Aesch. Agam. 999. Eadem mensura vocabulum hoc arbitror restituendum Euripidi in Hipp. 552., ubi vulgo φονίοις θ' ὑμεναίοις, quod mendosum esse antistrophicus v. 562. φονίῳ κατεύνασε arguit. Marklandus ad exaequandum metrum suadebat κατένασσε legendum, a Valckenario satis refutatus. Tu lege φονίοις ὑμεναίοις τε, quod mutatum a scriba esse propter v. 554. ὦ τλᾶμον ὑμεναίων apparet. In transcursu lectionem moneo admodum languere, quam seq. versu antistrophae Valckenarius recepit:

Δεινὰ γὰρ τὰ πάντ' ἐπιπνεῖ· μέλισσα

ubi de immani amoris vi sermo est, qua in mortales Venus irruat. Codd. Flor. πάντα γε πνεῖ, Paris. πάντα γε ἐπιπίτνει, cui supra scriptum γρ. πιτνεῖ. Hinc eruendum videtur πάντ' ἐμπιτνεῖ, quo nihil aptius sensui esse dices collato illo Sophocleo: ὃς ἐν κτήμασι πίπτεις.

V. 389.

ξένος παρασχὼν, ῥύσεται τοὐμὸν δέμας

Auctor Χρισ. πασχ. 887. δέμας τόδε.

V. 447. 448.

οὐ νῦν κατεῖδον πρῶτον, ἀλλὰ πολλάκις,
τραχεῖαν ὀργὴν, ὡς ἀμήχανον κακόν.

Stob. 20. p. 107., quem citat Brunckius, ὡς ἀμήχανον φέρειν.

V. 509. 510.

τοιγάρ με πολλαῖς μακαρίαν ἀν' Ἑλλάδα
ἔθηκας ἀντὶ τῶνδε.

Aldi et reliquorum omnes fere editt., Alexander Rhetor p. 580. Ald. μακαρίαν Ἑλληνίδων. Idem rhetor mox v. 511. σεμνὸν pro πιστόν.

V. 531.

ὡς Ἔρως σ' ἠνάγκασεν
τόξοις ἀφύκτοις τοὐμὸν ἐκσῶσαι δέμας.

Ald. πόνων ἀφύκτων τοὐμόν; hanc et vulgatam lectionem pro antiqua scripturae varietate citat Scholiastes.

V. 543.

μήτ' Ὀρφέως κάλλιον ὑμνῆσαι μέλος

Flor. et Paris. βελτίον, pars codicum βέλτιςον, ex illo depravatum.

V. 577.

ὅμως δ' ἔμοιγε, κεἰ παρὰ γνώμην ἐρῶ

Ald. λέγω.

V. 584.

ὡς καὶ σὺ μὴ νῦν εἰς ἔμ' εὐσχήμων γένῃ

Scholiastes citat φανῇ pro γένῃ: haud male Porsonus in addend. ad h. v. tentabat φανῇς.

V. 598.

μή μοι γένοιτο λυπρὸς εὐδαίμων βίος.

Stobaeus in suo codice legit πικρός pro λυπρός.

V. 666.

τί δ' ὀμφαλὸν γῆς θεσπιῳδὸν ἐστάλης

Ald. et codd. nonnulli ἱκάνεις. Hoc glossema esse moneo, non variam lectionem.

V. 672.

τί δῆτα Φοῖβος εἶπέ σοι παίδων πέρι

Ad Aristoph. Plut. 39.

τί δῆθ' [sic] ὁ Φοῖβος ἔλακεν ἐκ τῶν στεμμάτων

annotavit Scholiastes: τραγικώτερον ἀπεφήνατο προςδιασύρων, ὡς φασίν, Εὐριπίδην. En tibi manifesta-

rium documentum, Euripidem prioris editionis, loca ab Aristophane perfricata in altera correxisse. Legebatur enim procul dubio in priori exemplari:

τί δῆθ' ὁ Φοῖβος ἔλακεν ἐκ τῶν στεμμάτων
παίδων πέρι etc.

Atque vocabulum λάκειν Euripidi usitatissimum saepius Aristophanis bilem movisse egregius locus testatur in Acharn. 417.

ΔΙΚ. Εὐριπίδη· ΕΥΡ. Τί λέλακας; ΔΙΚ. Ἀναβάδην ποιεῖς.

V. 703.

πρὸς τοῦ; τόδ' ἄλλο καινὸν αὖ λέγεις κακόν

Membranae et Auctor Χ. Π. 137. ἀγγελεῖς, quod edidit Brunckius.

V. 704.

πολλὴν ἔλεξας, ὦ γύναι, προμηθίαν

Ald. et nonnulli codd., ut ex Porsoni silentio conicio, ἔλεξας ἐν λόγοις. Valckenarius ad Phoen. 531. p. 274. eleganter ἔδειξας ἐν λόγοις coniecit, quo tautologia evitaretur.

V. 750.

ὄμνυμι γαῖαν, Ἡλίου θ' ἁγνὸν σέβας

Porsonus e codd. edi iussit: sed Ald., omnes fere editt. et codd. reliqui γαῖαν, λαμπρὸν Ἡλίου τε φῶς, Lascaris γαῖαν, λαμπρὸν Ἡλίου φάος. Utraque lectio Euripidem, ni fallor, habuit auctorem.

V. 883.

καὶ ξυμπεραίνειν καὶ παριστάναι λέχει

Lib. Paris. καὶ ξυγγαμεῖν σοι καί et v. seq. εὐφραίνειν σέθεν pro vulg. ἥδεσθαι σέθεν.

V. 918.

αὕτη, τί χλωροῖς δακρύοις τέγγεις κόρας.

Lo-

Locum aliter legisse in suo codice videtur Eustathius ad Iliad. β. p. 217. scribens: Ἰστέον δὲ, ὅτι ἐπεὶ καὶ κυρίως θάλλοντα καὶ ἁπαλά εἰσι [τὰ δάκρυα], διὰ τοῦτο καὶ τέρεν δάκρυόν που λέγεται τὸ ἁπαλόν· ἐπεὶ δὲ καὶ χλωρά εἰσι τὰ θάλλοντα καὶ ὑγρότητα ἔχει πλείω, διὰ τοῦτο καὶ ὑγρὸν δάκρυον καὶ χλωρὸν ὁ Εὐριπίδης φησί. Si quidem id ad unicum hunc Euripidis locum referri debet.

V. 1014.

οὔτοι μόνη σὺ σῶν ἀπεζύγης τέκνων·
κούφως φέρειν χρὴ θνητὸν ὄντα συμφοράς.

Aliam olim posterioris versus lectionem simul exstitisse fortasse colligi potest ex verbis Auctoris Phalarid. Epist. 144. p. 134. Boyl., qui hunc imitatus potest videri: ἐπεὶ τοίνυν οὔτε πρῶτος οὔτε μόνος τοιαύτῃ ἐχρήσω συμφορᾷ, λογίζου τὰ ἀνθρώπινα πρᾴως φέρειν. Non magnopere ei, qui postrema verba in senarium cogere vellet, esset laborandum.

V. 1039.

γυναῖκες, ὄμμα φαιδρὸν ὡς εἶδον τέκνων.

Lasc. τερπνόν pro φαιδρόν: utrumque est tragicorum. Ex tragico hausit sua Lucianus Tragopodagr. 135. T. 3. p. 652. Reitz. sic concinnanda:

ἵλαος ἔλθοις ὄμματι φαιδρῷ,
δοίης δὲ πόνοις λύσιν ὠκεῖαν,
ταῖσιν δ' εἰαριναῖς ὥραις.

Cf. Aeschyl. Ag. 520. Soph. Oed. C. 319.

οὐκ ἔστιν ἄλλη· φαιδρὰ γοῦν ἀπ' ὀμμάτων
σαίνει με προσστείχουσα

ubi non opus cum Dahlio ad Theocr p. 478. προςμειδοῦσα corrigere pro προςστείχουσα, quae vox, lexicis Graecis addenda [2]), comprobata est ab Er-

---

2) Quorum interest lexica Graeca emendare et amplificare, ii non aegre ferent vocabula nonnulla praepositione πρός iuncta hoc loco annotari, quae in Schneideri opere frustra quaesiveris: † Προςαγωγίδης: Plutarch. vit. Dion. p. 970. Wessel. ad Diod. Sic. T. 1. p. 455. (Notavit Schneid. in ποταγωγίδες). Προςανασπάω: Eustath. ad Iliad. p. 679, 62. [Eiusmodi est Συναποσπάω: Apollodor. 2, 7, 7, 11., ubi paullo ante εἰς τὴν θάλασσαν, quod Heynius eiecit, revocandum, et de coniectura, quam Nodellum quoque fecisse nunc video, κατεπόντισε pro κατηκόντισε reponendum est.] Προςαναφώνησις: Schol. br. Iliad. α, 213. [Adde: Ἀναπωφωνέω: Schol. Eur. Or. 340.]. Προςαποχράω: Schol. Eur. Hipp. 58. Προςεπινεύω: Schol. br Iliad. ε, 290. Προςκαταποντίζω: Liban. adv. Tisam. T. 2. p. 246. [Ποντοκύκος: Phrynich. in Bekk. Anecd. Gr. T. 1. p. 61. Ποντοτίνακτος: Hom. Epigr. 4, 6. Herm., eodem fere sensu dictum ut * Θαλασσομέδων apud Nonn. Dion. 21, 97. Ποντοναύτης: Sophocl. fr. Σκυρίων IV, 1. Br. Ποντοφάρυξ: Phrynich. l. c. p. 58] Προςκολλητός: Schol. Soph. Trach. 771. † Προςπλέκω: Origines adv. Celsum 1. p. 32. Argum Aristoph. Ran. p. 26 [Μυθόπλοκος: Sappho ap. Maxim. Tyr. diss 8. p 94.] Προςραντίζω Schol. Aristoph. Nub. 410. Occasione hac oblata etiam vocabula nonnulla cum praepositione πρό composita liceat hic adiicere: Προαναγυμνάζω: Phrynich. l. c. p. 61. Προανακύπτω: Stephan. Prax. 6. Προβατοδόρος: Procl. ad Hesiod. Op. 504., ex quo loco etiam Αἰγιοδόρος lucrare. Προεγκελεύω: Apollon. Lex. Hom. v. προβοῶντε. Προεισπορεύω: Schol. Eur. Or. 57. bis. Προεξεγείρω: Phrynich. l. c p. 59. Προοικονομίζω: Schol. Eur. Hipp. 23. [Εὐκατοίκητος: Schol. Eur. Or 1621. Εὐοικονομήτως: Idem 474. Οἰκοσκοπικός: Suid. v. Ξεινοκράτης.] Πρόπυσος: Phrynich. l. c. p. 61. Πρότηθυς: Cratinus ap. Phrynich. l. c. p. 59. Προτρυγητός: Procl. ad Hesiod. Op. 611. [† Τρυγηφόρος: Hom. Hymn. in Apoll. 529] Προφήτως: Maneth. 2, 317.

furdt. ad Oed. T. 79. Vitipse etiam in Oed. C. 30. προστείχοντα pro προσστείχοντα. Altera ex parte occurrit τερπνός in Eurip. fragm. Meleagri XVII., quod totum adscribimus, ut nonnulla vitia demantur. Grotius edidit:

> Τερπνὸν τὸ φῶς μοι, τὸ δ' ὑπὸ γῆν ἄδου σκότος
> οὐδεὶς ἂν εἴδεν αὖ ἐς ἀνθρώπους μολών.
> ἐγὼ μὲν οὖν γεγῶσα τηλίκη δέμου
> ἀπέπτυσ' αὐτὸ κοὔποτ' εὔχομαι θανεῖν.

V. 1, corrigendum γῆς: ita enim Euripidis mos fert. Cf. Herc. Fur. 1218. Iph. Aul. 1206., ubi Matth. perperam γῆν. Thomas M. v. ὑπέρ. Porson. ad Hecub. 149. Mox legendum αὖθ' ἐς. — V. 3. τηλικήδ', ὁμοῦ scribendum: viam monstravit Valcken. Diatr. p. 139. τηλικήδ', ὅμως suspicans.

V. 1040. seq.

> οὐκ ἂν δυναίμην· χαιρέτω βουλεύματα
> τὰ πρόσθεν.

Pro χαιρέτω Cott. et Flor. ἐῤῥέτω.

V. 1060.

> πάντως πέπρωται ταῦτα, κοὐκ ἐκφεύξεται.

Ald. πέπρακται.

V. 1067.

> Ὦ φιλτάτη χείρ, φίλτατον δέ μοι κάρα,
> καὶ σχῆμα, καὶ πρόσωπον εὐγενὲς τέκνων.

Auct. X. Π. 1329. legit:

> Ὦ φίλον ὄμμα, φίλτατον δέ μοι στόμα
> καὶ σχῆμα καὶ πρόσωπον εὐγενὲς τέκνου.

Quod auctor huius centonis misellus τέκνου mutavit, id pro commodo suo fecit, quum his verbis

Mariam deplorantem Christi filii mortem inducat. Sed Euripides, si alterutra in recensione Pseudo-Gregorii lectione usus est, non potuit non scribere ὦ φίλιον ὄμμα.

V. 1073.

εἶα τ' ἐς ὑμᾶς, ἀλλὰ νικῶμαι κακοῖς.

Auctor Χρ. Π. 594. 874. reperit πόνοις.

V. 1074.

καὶ μανθάνω μὲν, οἷα δρᾶν μέλλω κακά

Non deterior est editt. et Mss. plurimorum lectio οἷα τολμήσω κακά, qua usus etiam Auctor Χ. Π. 1883. dicens καὶ συνιεὶς μὲν οἷα τολμᾷς ἀφρόνως. Sed lectio a Porsono recepta, quam inter alios viros doctos etiam Valckenarius Diatr. p. 21. probavit, satis antiqua est, quum Plutarchus, Lucianus, Galenus, Clemens. Synesius, Simplicius, alii, quorum loca, diligenter indicavit Porsonus, eandem in suis Medeae codicibus invenerint.

V. 1113.

φίλαι, πάλαι τοι προσμένουσα τὴν τύχην,
Καραδοκῶ τἀκεῖθεν οἷ προβήσεται·
Καὶ δὴ δέδορκα τόνδε τῶν Ἰάσονος
στείχοντ' ὀπαδῶν, ὥς τι καινὸν ἀγγελεῖ
κακόν.

Hunc locum auctoris manu totum esse refictum, docent vestigia prioris editionis in imitatione Aristophanis Plut. 641.

τίς ἡ βοή ποτ' ἐστίν; ἆρα γ' ἀγγελεῖ
χρηστόν τι; τοῦτο γὰρ ποθοῦσ' ἐγὼ πάλαι
ἔνδον κάθημαι περιμένουσα τουτονί.

Utraque in recensione Euripidem περιμένουσα suspi-

cor scripsisse, proprium hoc sensu vocabulum: cf. Heindorf. ad Plat. Phaed. 8.

V. 1118.

ὦ δεινὸν ἔργον παρανόμως εἰργασμένη.

Apposite Aristoph. Plut. 415.

ὦ θερμὸν ἔργον κἀνόσιον καὶ παράνομον.

Sic fere ab Euripide priori in editione scriptum fuisse coniicio. Eodem modo Amphis ap. Athen. 10. p. 448. tragici locum carpsisse videtur dicens:

Δρᾷ τι καὶ νεανικὸν
καὶ θερμόν

nisi ipsum Euripidis locum respexisse putandus est. Nec falli me puto in sequentibus Aristophanis verbis, quae tragicam gravitatem et affectum redolent, nonnulla ex priori Medeae editione suspicantem perstricta esse, quae quum poeta posthac mutaverit irrisus, nobis interciderint. Sed hoc incertum.

V. 1127.

ἥτις τυράννων ἑστίαν ᾐκισμένη

MS. Par. et Flor. οἰκίαν.

V. 1159.

ἄψυχον εἰκὼ προσγελῶσα σώματος.

Scholiastes in suo codice habuit προσβλέπουσα.

V. 1203.

ᾤμωξε δ' εὐθύς· καὶ περιπτύξας δέμας
κυνεῖ.

Pars librorum χέρας, quod edidit Brunckius.

V. 1210.

προσείχεθ' ὥστε κισσὸς ἔρνεσιν δάφνης.

Quod Auctor X. Π. 1318. δρυὸς in codice suo invenit dubito an ex Hecub. 398.

ὁποῖα κισσὸς δρυὸς, ὅπως τῆσδ' ἕξομαι

ortum recte crediderit Eichstadius de *Dramate Christiano, quod* Χριστὸς πάσχων *inscribitur*. *Ienae* 1816. 4. p. 28.

V. 1224.

τούτους μεγίστην μωρίαν ὀφλισκάνειν.

Idem legit ζημίαν.

V. 1225.

θνητῶν γὰρ οὐδείς ἐστιν εὐδαίμων ἀνήρ·
ὄλβου δ' ἐπιῤῥυέντος, εὐτυχέστερος
ἄλλου γένοιτ' ἂν ἄλλος, εὐδαίμων δ' ἂν οὔ.

Auctor X. Π. 1013. sic scriptum reperit, ut in priori editione lectum existimo:

θνητῶν γὰρ οὐδείς ἐστιν εὐδαίμων φύσει·
ὄλβου δ' ἐπιῤῥυέντος εὐτυχέστερος
ἄλλου γένοιτ' ἂν ἄλλος, εὐδαίμων δ' ἂν οὔ.

V. 1231.

κόρη Κρέοντος, ἥτις εἰς Ἅιδου πύλας.

Plurimi codd. δόμους. Utrumque potest a tragico esse profectum. De Ἅιδου πύλαις cf. Iacobs. Animadv. ad Eur. 13. Eur. Alcest. 124. Ἀΐδα τε πύλας (excidit post πύλας vox iambum explens). Non spernenda in Soph. Oed. T. 935. E. lectio Trin. August. b. ἐν δόμοις pro ἐν τάφοις. In Eur. Alc. 436.

χαίρουσά μοι ἐν Ἀΐδου δόμοισι

cum Lobeckio ad Aiac. p. 313. corrigendum εἰν, quae forma tragicis, quamvis raro usurpata, non

prorsus expellenda est, pluribus adhuc restituenda locis, veluti Sophocli Antig. 1325.

τέλη λαχὼν δείλαιος ἐν Ἀΐδου δόμοις

ubi si quod in libris vulgatur εἰν Ἅιδου receperis, non opus erit virorum doctorum coniecturis. Eur. Or. 1275. vide an metrum hoc modo restituatur:

τί μέλλετε κατ' οἶκον, εἰν ἡσυχίᾳ

et in strophico 1359.

ἐκεῖθ' ἐνθάδ', εἴτ' ἐπ' ἄλλην σκοπιάν

quo loco supersedere possumus Porsoni coniectura.

Tota hac demonstratione, in qua quod aliis accidere solet, ut nimio correpti studio duplicis recensionis vestigia indagandi, in quacunque lectionis varietate evidentia rei indicia se reperire confidant, etsi me quoque aliquoties esse passum sane verendum est, tamen hoc satis certe credo evictum, Medeam ab auctore bis esse editam. Difficilior autem ea est quaestio, utri recensioni unus quisque superstitis Euripideae fabulae locus annumerandus sit. Quod ad dignoscendam aliorum operum duplicem recensionem cum fructu advocatur auxilium ex plurimorum inter se familiarium codicum auctoritate et grammaticorum citationibus, etiam ad discernendam Euripideam multum valebit: nam utriusque editionis exemplaria in hominum manibus diu mansisse, ipsi veterum scriptorum loci utrumque respicientes docent. Sed hoc usque ad tempus dolendum Euripidis libros mss. singulo quoque loco tanta nondum excussos esse diligentia, ut certum de cuiusvis

loci lectionis varietate iudicium ferri possit. Maximi autem in hac quaestione momenti est Ennii Medea, quum conversa ad Graecum Euripidis exemplar sit tota; ad hanc nunc pergimus.

Quod primum est spectandum, utram Ennius recensionem Medeae secutus sit, id ad liquidum ex iis, quae supra exposita sunt, facile potest perduci. Illa enim de duplici Ennii Medea lis, quae VV. DD. ingenia tantopere exercitavit, eo iam redit, ut quaestione de diversis duabus Medeis fabulis ab Ennio ad diversas Euripidis scriptis omissa, de qua non amplius sermo esse potest, utra Ennius ad Medeam componendam suam usus sit Euripideae fabulae recensione, doceatur. Neque hoc difficile. Nonnulla enim ex Ennii fabula quum reperiantur veteribus scriptoribus citata fragmenta, quae certis locis Euripideae fabulae propter nimiam utriusque contextus discrepantiam commode assignari non possint, iisdemque tot tantaque nova fabulae addantur argumenta, ut Ennius ea de suo confinxisse credibile non sit: facile mihi persuadeo, Ennium conficiendae tragoediae suae non posteriorem Graecae fabulae recensionem, sed priorem adhibuisse. Atqui plurima horum fragmentorum pars ita comparata est, ut ad quam Euripidis fabulae regionem fere referenda sint, coniectura assequi possimus: quo fit ut certius de priori Euripidis recensione iudicium colligatur. Alia, quorum sedes in Graeca fabula prorsus non constat, in calce ceterorum Ennii fabulae fragmentorum ordine Euripideae dispositorum, sequenti capite adiecimus; quae Graecis verbis aliqua certe ex parte respondere visa sunt, ceteris suo loco interposuimus.

Nonnulla autem, quae inter Enniana recensuit Planckius, quum ne similitudinem quidem Graeci contextus habeant, neque Ennii nomine, neque Medeae fabulae inscriptione a scriptoribus laudentur, satius duximus plane omittere.

CAPUT SEXTUM.

Ennii Medeae fragmenta collecta atque emendata.

I. Priscian. p. 1325. (Plures auctores hoc fragmentum citantes vide apud Planckium.)

Utinam ne in nemore Pelio securibus
Caesa accidisset abiegna ad terram trabes,
Neve inde navis inchoandae exordium
Coepisset, quae nunc nominatur nomine
Argo; qua vecti Argivi delecti viri
Petebant illam pellem inauratam arietis
Colchis imperio regis Peliae per dolum.
Nam nunquam hera errans mea domo efferret pedem
Medea animo aegra amore saevo saucia.

Euripides Med. init.

Εἴθ' ὤφελ' Ἀργοῦς μὴ διαπτάσθαι σκάφος
Κόλχων ἐς αἶαν, κυανέας Συμπληγάδας,
μηδ' ἐν νάπαισι Πηλίου πεσεῖν ποτε
τμηθεῖσα πεύκη, μηδ' ἐρετμῶσαι χέρας
ἀνδρῶν ἀρίστων, οἳ τὸ πάγχρυσον δέρος
Πελίᾳ μετῆλθον· οὐ γὰρ ἂν δέσποιν' ἐμὴ
Μήδεια πύργους γῆς ἔπλευσ' Ἰωλκίας,
ἔρωτι θυμὸν ἐκπλαγεῖσ' Ἰάσονος.

Quod apud Nonium p. 297, 18. ex Ennii Medea inconcinne citatur: *Utinam ne unquam Medea corde cupido Colchis pedem extulisses* [*f. extulisset*] tantam habet similitudinem cum v. 8. et 9., ut fragmentum hoc non ex altera Ennii Medea, ut Planckius cum ceteris opinatus est, sed ex alia potius Ennianae tragoediae textus editione suspicer afferri. Nam quod de diversis Plautinarum fabularum exemplaribus infra exponetur, non minus ad tragoedias Latinorum pertinet, etsi id pro reliquiarum inopia certo demonstrari vix potest. Dictu autem difficilius est, quid de Auctore Rhetoricor. ad Herenn. 2, 22. sentiendum sit, nimiam Ennii in verbis luxuriem hoc modo exprobrante: *Nam hic satis erat dicere (si id modo, quod esset satis, curasset poeta)*:

Utinam ne hera errans mea domo efferret pedem
Medea.

Scriptori enim huic, si cum Ennio Euripidem una dictis exuberantem reprehendens, versus, quales ab utroque poeta confici debuissent, effingere volebat, id quod ad totius loci intelligentiam necessario pertinebat, omittendum non erat, Iasonis amore percitam patria Medeam fugisse.. Rhetoricorum loco hinc patet egregie consuli lectione codicis pergamen. biblioth. Kaas-Lehnianae in Lollandia, cuius variantes usque ad librum tertium Birgerus Thorlacius enotavit in *Anniversariis ad magistratus Academici solemnia indicanda, Hauniae* 1815. Suppletur locus in codice ap. Thorlac. p. 34. ita: *Utinam ne hera errans Medea efferret pedem domo mea animo egra saucia amore*, unde facillime veram versuum scripturam nempe a rhetore ex Ennianis corrasorum eruas:

Utinam ne hera errans mea domo efferret pedem
Medea, animo aegra amore saevo saucia.

II. Nonius p. 39, 2. 292, 17.

Antiqua herilis fida custos corporis
Quid sic extra aedes exanimata eliminas?

Eurip. 48. seq.

παλαιὸν οἴκων κτῆμα δεσποίνης ἐμῆς,
τί πρὸς πύλαισι τήνδ' ἄγουσ' ἐρημίαν
ἕστηκας, αὐτὴ θρεομένη σαυτῇ κακά;

Emendavit, ut adscripsimus locum, H. Stephanus, neutrali verbi potestate *eliminas* sumendum dicens, quo usu apud antiquiores nullus est frequentior. Aliena igitur Rutgersii Var. lect. 6, 1. coniectura *ex anima te eliminas.* Post Delrionem et Scriverium etiam Porsonum *te* retinuisse, mirum est. Bene eiecit Planckius, quem vide de voce *eliminare* disputantem. Ceterum Enniana hac conversione *custos* abusus Wakefieldius ad Sophocl. Phil. 855. Erf. Medeae locum temere ita tentabat:

παλαιὸν οἰκούρημα δεσποίνης ἐμῆς.

III. Cic. Tusc. 3, 26, 63.

Cupido cepit miseram nunc me proloqui
Coelo atque terrae Medeai miserias.

Eur. 56. 57.

ὥστ' ἵμερός μ' ὑπῆλθε γῇ τε κοὐρανῷ
λέξαι μολοῦσαν δεῦρο δεσποίνης τύχας.

Semel frequens Planckii error notandus est, hoc loco et ubicunque in sua Medeae editione formas Infinitivi Passivi in *er* et Genitivi, Dativi et Nominativi Pluralis in *ai* pro *ae* exhibentis. Hic enim dum antiquam dicendi rationem constanti usu affec-

tare voluit, totam rem misere turbavit. Tribus verbis rem, quae longiorem requirit inquisitionem, absolvam. Casuum terminationem in AE quamquam antiquiori tempore in AI nullo ipsius casus discrimine fuisse, certum et lapidibus satis confirmatum est: tamen hic usus ad Ennii et Plauti usque tempora non tantopere perduravit, quin pro poetarum commodo intelligentium mutari potuerit. AE diphthongum hoc tempore omnino iam percrebruisse ex Senatus consulto de Bacchanalibus, quod ad Ennii aetatem proxime pertinet, conspicitur, ubi quod antea *edis*, iam *aedis* scribitur. Ea invaluit apud poetas huius temporis consuetudo, ut ad distinguendos Dativum et Nominativum Pluralem a Genitivo forma AE utrique casui constitueretur, Genitivo aut terminatio in AE, aut in AI relinqueretur, hoc tamen discrimine, ut haec duas longas, illa unam efficeret syllabam. Certissimi in hac re testes sunt Lucretii libri et gravissimus in grammatica auctor P. Nigidius Figulus apud Gell. 13, 25. hoc Dativi et Genitivi discrimen probe agnoscens. Cassiodor. de orthogr. 4. p. 2290. Putsch. *AE syllaba, quam nunc in fine sermonis diphthongon scribimus, ut cogitationis magnae* [sic] *apud antiquiores per AI scribebatur, ut esset distantia Genitivorum a Dativis. Nam Genitivo hanc divisionem dabant, ut non esset dissyllabus similis Dativo, sed trisyllabus inveniretur, ut magnai, Asiai, aulai, frugiferai.* Adde Priscian. 7. p. 728. Apud veteres iam ipsos grammaticos controversia erat de Dativo et Nominativo Plurali, uterque an distractam formam AI adsciverit. Conf. Velius Longus p. 2222. Marius Victorin. p. 2460. seq.

Quintilian. 1, 7, 18. ubi vide Spaldingium, Vossius de arte gramm. 2, 3. p. 209. et 2, 4. p. 212. Sed misere rem, quae a temporis ratione pendebat tota, confuderunt hi magistri. Cuique enim casuum terminationi, quae posthac per AE efferebatur, communis erat antea forma AI, sed multo antiquiori tantum tempore, quo usque quae nostram aetatem tulere monimenta litterarum, non pertinent. Plauti Enniique aetate hunc usum diu iam obsolevisse, inde colligitur, quod magistri, quamquam in adstruenda Dativi et Nominativi forma in AI tantopere laboraverint, ex illius aetatis scriptoribus ne unum quidem huius terminationis exemplum arcessere potuerunt. Omnino haec forma Genitivi in AI Plauto rarissime usurpata, Caesaris aetatem etiam in poetarum sermone non superasse, ex libris oratione prorsa scriptis ante iam decessisse videtur. Ac si Ciceronem in libris Arateis (cf. locum de N. D. 2, 42, 109.) ea aliquoties adhuc Priscianus l. l., Virgilium quatuor tantum omnium operum suorum locis usos esse Servius ad Aen. 7, 464. et Valerius Probus Instit. gramm. 1. p. 1438. recte annotant, uterque hoc, Virgilius ut in hac re *amantissimus vetustatis* monente Quintiliano l. l., pro versus emolumento fecisse sunt putandi. Nec caussa latet, cur huius formae usus mox evanuerit, quum ipse sonus AI Romanorum auribus insuavissimus videretur: quo manifeste respiciunt Ciceronis verba in Orator. 49, 163. secus adhuc intellecta, quia loci scriptura huc usque corrupta ferebatur. Legenda enim ita: *sed proximus inquinatus insuavissima littera finitus:*

frugiferai et
Fertai arva Asiae tenet

Ex eodem loco etiam Cassiodorus *frugiferai* sumpsit. Ac prave hinc Quintilianum 1, 5, 17. *Plus exigunt subtilitatis, quae accidunt in dicendo vitia, quia exempla eorum tradi scripto non possunt, nisi quum in versus inciderunt, ut divisio* Europai, ab interpretibus, etiam Gesnero et Spaldingio, patet intellectum esse, quum non viderint, Quintilianum non in antiquioris aevi scriptoribus usum hunc, sed in suae aetatis poetis antiquatum hunc scribendi morem tum studio tum ignorantia affectantibus reprehendere: atque ex Cassiodori loco facile intelligitur, *Asiae*, quod in plurimis codd. legitur, licet a Spaldingio e contextu eiectum sit, si mutaveris in *Asiai*, post *Europai* addendum esse. Ab hac parte Quintilianus sua magis tempora, quam priora respiciens, quantopere ab interpretibus secus adhuc captus sit, etiam aliis ubique occurrentibus exemplis doceri possit. Adiiciendus denique locus Marciani Capellae de nupt. philol. 3. cap. de iunctura syllabar. p. 60 Grot.: *Lucillius in dativo casu A et E coniungit dicens: Huic* Terentiae Orbiliae. *Lucinius A et I, et Lucretius crebro: et noster Maro* Aulai, Pictai. Pro *Lucinius* Grotius suspicatur *Licinius.* Sed omnia hoc loco admodum corrupta sunt. Nam Lucilius sine dubio utraque forma AE et AI pro commodo suo usus est. Malim hinc commutari locis *Lucilium* et *Licinium.* Sed magis mirum est, *dativi casus* hoc loco mentionem esse iniectam, quum ubi de sola litterarum et formarum commutatione, quae a tempore pendeat, sermo esset, id

monere non modo supervacaneum, sed prorsus alienum esset, quia auctori mutata posthac in Genitivo forma ad verba *Aulai, Pictai* etiam addendum fuisset, genitivum esse casum. Censeo hinc verba *in dativo casu* librariorum sapientiae deberi, qui verba *Huic Terentiae Orbiliae* explicatione indigere opinarentur.

Superest ut de Infinitivi Passivi forma in ER paucis moneatur, cuius usum etiam a tempore repetendum arbitror. Forma enim haec, quae una cum breviori antiquissimis temporibus obtinuisse videtur, cultiori Romanae linguae aetate solummodo in iuris formulis ex antiquitate petitis conservata, Ennii et Plauti aetate eo restricta est, ut nonnisi pro versus commodo vel necessitate a poetis reciperetur; quam legem posteriores quoque poetae unice tenuerunt. Cf. Serv. ad Virg. Aen. 3, 493. Parum accurate rem tractat Diomedes p. 322. Quo argumento Hermanni nitatur observatio, ad Plaut. Trin. p. XVI. hanc Infinitivi formam nunquam in versibus iambicis et trochaicis dactylum constituere dicentis, nondum exputavi ac vereor, ut eius rei ipse rationem indicare possit. Is obtinuisse videtur mos, ut formae usus unice a metri necessitate penderet, quo factum ut Infinitivi clausula ubique duas tantum syllabas, unam nunquam efficeret: quod non intellexit Planckius. Rarissime Plautus forma usus est; excludenda ab huiusmodi locis, veluti Capt. 2, 3, 12.:

Quum servitutem ita fers, ut ferri decet,

ubi ad evitandum hiatum *ferrier* possis suspicari, quo non magis opus, quam cum Bothio in 1, 2, 72. legere.

Pro-

Propterea te vocarier ad coenam volo.

Hoc loco semel tangam hiatus apud Latinos usum, quem, quum hac in re a viris doctis diversissimas in sententias discedi animadverterim, fusius alibi dabitur locus examinandi: nunc id solum agendum, ut hiatum in penthemimeri admissum defendam, quem etsi non Terentio, certe Plauto concedendum iam vidit Bentleius ad Ter. Eun. 3, 1, 18. Apponam exempla, quae innumeris fere locis augeri possunt, evidentia aliquot, quibus rem nunc volo non tam illustrari, quam confirmari. Amph. prol. 89.

Quid admirati estis, quasi vero novum

Bothius *estis admirati.* Aul. 2, 4, 28.

Immo equidem credo. An scin etiam quomodo?

4, 6, 13.

Indeque observabo aurum ubi abstrudat senex.

Post *observabo* Bothius de suo adiecit *ego.* Capt. 1, 1, 6.

Estne invocatum, an non? Est planissime.

Curc. 3, 16.

Edepol nae ego hic me intus explevi probe.

V. 28.

Nam illaec catapultae ad me crebo commeant.

V. 45.

Quia vestimento, ubi obdormivi ebrius.

Cas. prol. 51.

Puellam exponi: adit extemplo ad mulierem,

1, 4.

Quasi umbra, quoquo ibis tu, te persequi.

Both. *quoquod.* 2, 5, 35.

Tibi et Chalino: ita rem natam intelligo.

Cist. 1, 3, 33.

Peperisse gnatam, atque eam se servo illico

Both. *servulo e loco.* 2, 3, 9.

Extimuit tum illo? Horret corpus, cor salit,

V. 31.

Servate me Di, obsecro. At me perditis,

etsi legere possis *Divi.* 2, 5, 61.

Quid istuc est verbi? Ex priore muliere

Both. *verbi est.* V. 75.

Ego eam proieci: alia mulier sustulit

Both. *mulier alia.* V. 76.

Ego inspectavi: herus hanc duxit postibi

Both. *duxit herus.* Poen. 2, 8.

Iratus: vetui exta prosicarier

Both. *exta vetui.* Rud. 3, 6, 21.

Ego hunc scelestum in ius rapiam exsulem

Reiz. *scelestum rapiam iam in ius.* Hiatum contra Bothius bene expulit Aul. 3, 6, 33. Cas. 4, 1, 10. IV. Nonius p. 467, 13.

Fluctus verborum aures occupat.

Eurip. 131.

ἔκλυον φωνάν, ἔκλυον δὲ βοάν.

Non debebat Planckius Delrionis correctionem *au-*

cupavit reiicere, quae longe praestat. At scribendum *auris*.

V. Cic. Ep. ad fam. 7, 6. *Hoc tibi iam ignoscemus nos amici, quum ignoverunt Medeae, quae Corinthum arcem altam habebant matronae opulentae optimates: quibus illa manibus gypsatissimis persuasit, ne sibi vitio illae verterent, quod abesset a patria. Nam multi suam rem bene gessere et publicam patria procul. Multi qui domi aetatem agerent, propterea sunt improbati.*

Eur. 216. seq.

> Κορίνθιαι γυναῖκες, ἐξῆλθον δόμων,
> μή μοί τι μέμφησθ'· οἶδα γὰρ πολλοὺς βροτῶν
> σεμνοὺς γεγῶτας, τοὺς μὲν ὀμμάτων ἄπο,
> τοὺς δ' ἐν θυραίοις· οἱ δ' ἀφ' ἡσύχου ποδὸς
> δύσκλειαν ἐκτήσαντο καὶ ῥαθυμίαν.

Sic excudi locum Euripidis iussit Porsonus, Brunckii coniecturam δωμάτων ἔπι ut in loco corruptissimo, donec melior aliqua excogitetur, se praeferre dicens: quocum consentit Censor in Ephem. Litt. Jen. 1813. Nr. 240. p. 419. Nobis vero longe aliud videtur: hac enim Brunckii emendatione, ni fallimur, tota Euripidis sententia verendum ne pervertatur. Non magis placet, quod Wyttenbachius coniecit τούς τε δωμάτων ἔπι, τούς τ' ἐν θυραίοις et Ennio, quum verteret *multi qui domi aetatem agerent,* in suo codice lectum suspicatus est: posterius ne verisimile quidem, quum haec Ennii verba ad οἱ δ' ἀφ' ἡσύχου ῥαθυμίαν manifeste pertineant. Levissima mutatione sanatur locus, si τοὺς τ' ἐν θυραίοις legas, quod confirmat membranarum lectio versu praecedente ὀμμάτων τ' ἄπο, quam servatam volo.

Jam opponuntur verba sequentia *οἱ δ' ἀφ' ἡσύχου ποδός* etc. aptissima sententia.

Oleam et operam perdiderunt, qui in fragmento Enniano, soluto in orationem a Cicerone, ad certos numeros redigendo laboraverunt. Temerarium enim iudico quodlibet tentamen pannum hunc ad pristinum suum habitum consarcinandi. Incertis qui coniecturis ipse indulgere amat, se exerceat, qui alienis delectatur, Planckii notam et interpretum ad locum Ciceronis adeat, ubi virorum doctorum commenta super hoc loco benigne enarrantur. Nos manum abstinemus. Hoc unum adiicimus, viros doctos in diversas partes abire, utrum *Corinthiam* an *Corinthi* (sic etiam Porsonus citat) legendum sit: neutrum probabile videtur. Fortasse poeta *Acrocorinthum* scripserat proprium huius arcis Corinthiae nomen, de quo cf. Melam 2, 3.

VI. Cic. pro Rabir. 11. sine auctoris et fabulae nomine citatum:

Animadverte et dicto pare

Ennii ex Medea esse docet quod ibi sequitur fragmentum ex Medea manifeste expressum *Si te secundo* etc., quod posuimus sub VIII. Pertinent haec fortasse ad Euripidis 322. seq. verba:

Ἀλλ' ἔξιθ' ὡς τάχιστα, μὴ λόγους λέγε.
ὡς ταῦτ' ἄραρε.

Certo hoc tamen non liquet: aptior autem in nostra Graeca Medea locus reperiri non potuit. Alia contexta Ennius in suo Medeae codice fortasse usurpavit. Ad eandem scaenam referenda videntur verba Ciceroni l. l. citata:

Praeter rogitatum ne querare

quorum quae in Euripidea fabula fuerit sedes, indicari hodie non potest.

VII. Varro Gerontodidascalo apud Nonium p. 261, 7. et idem de L. L. 5, 9. p. 73. Bip.

> *ter sub armis malim vitam cernere,*
> *Quam semel modo parire*

Eurip. 252. seq.

> ὡς τρὶς ἂν παρ᾽ ἀσπίδα
> στῆναι θέλοιμ᾽ ἂν μᾶλλον, ἢ τεκεῖν ἅπαξ.

Porsonus ibi Enniano fragmento *Nam* praefigit; et mox transponit *semel quam modo;* hoc nihil opus.

VIII. Cic. Ep. ad Att. 7, 26. et pro Rabir. 11. suppresso auctoris et fabulae nomine:

> *Si te secundo lumine hic offendero*

Eur. 533. seq.

> Εἴ σ᾽ ἡ ᾽πιοῦσα λαμπὰς ὄψεται θεοῦ
> καὶ παῖδας ἐντὸς τῆσδε τερμόνων χθονός,
> θανεῖ.

IX. Cic. de N. D. 3, 25, 65.

> *Nequaquam istuc istac ibit: magna inest certatio*
> *Nam ut ego illis supplicarem tanta blandiloquentia.*

Addit Cicero de suo: *Niobe parumne ratiocinari videtur*, ubi Kindervaterum *Medea* pro *Niobe* reponentem Planckius p. 100. neque reprehendere debebat, neque prorsus negligere novissimus editor, quum *Niobes* nomen plane alienum esse idem Heindorfius bene docuerit, atque hi versus, quos Planckius ut spurios proscripsit, manifeste expressi sint ex Eur. Med. 366. seq.

Ἀλλ' οὔτι ταύτῃ ταῦτα, μὴ δοκεῖτέ πω·
ἔτ' εἰσ' ἀγῶνες τοῖς νεωστὶ νυμφίοις,
καὶ τοῖσι κηδεύσασιν οὐ σμικροὶ πόνοι.
Δοκεῖς γὰρ ἄν με τόνδε θωπεῦσαί ποτ' ἄν,
εἰ μή τι κερδαίνουσαν ἢ τεχνωμένην;

Quod Kindervaterus coniecit, et nonnullum praesidium ex cod. Rediger. lectione corrupta *Molem* nanciscitur, in textum Ciceronis equidem non haesitaverim recipere.

Ad hanc fabulae regionem etiam quod eodem Ciceronis loco cap. seq. laudatur, et Ennii esse ex toto orationis nexu cognoscitur:

Qui vult esse, quod vult, ita dat se res, ut operam dabit,

pertinere videtur vestigium Graeci exemplaris designari non potest.

X. Cic. de N. D. 3, 26, 66.

Ille transuersa mente mi hodie tradidit repagula,
Quibus ego iram omnem recludam: atque illi perniciem dabo,
Mihi maerores, illi luctum, exitium illi, exilium mihi.

Eurip. 400. seq.

πικροὺς ἐγώ σφι καὶ λυγροὺς θήσω γάμους·
πικρὸν δὲ κῆδος, καὶ φυγὰς ἐμὰς χθονός.

XI. Ciceroni de orat. 3, 58, 219. laudatum:

Quo nunc me vertam? Quod iter incipiam ingredi?
Domum paternamne, anne ad Peliae filias?

Porsonus vidit ex Eur. 502. seq. esse adumbratum:

Νῦν ποῦ τράπωμαι; πότερα πρὸς πατρὸς δόμους,
οὓς σοὶ προδοῦσα καὶ πάτραν ἀφικόμην;
ἢ πρὸς ταλαίνας Πελιάδας;

XII. Cic. Tusc. 4, 32, 69.

Tu me amoris mage quam honoris servavisti gratia.

Eurip. 530. seq.

ὡς Ἔρως σ' ἠνάγκασεν
τόξοις ἀφύκτοις τοὐμὸν ἐκσῶσαι δέμας.

Planckii super hoc loco commenta si tacentur, Planckio et lectori consulitur.

XIII. Fragmentum, cuius priorem versum Nonius p. 470, 3., posteriorem Varro de L. L. 6, 2. p. 82. Bip., uterque ex Ennii Medea citant:

Asta atque Athenas, antiquum opulentum oppidum
Contempla et templum Cereris ad laevam adspice

ex Eur. 769.

Μολόντες ἄστυ καὶ πόλισμα Παλλάδος

liberius expressum esse acute suspicatus est Planckius. Attamen Ennii licentiae non tantum censeo tribuendum, ut diversa ac magis exaggerata, quam hodie legantur, verba Euripidis ex priori recensione ante oculos eum non dicam habuisse. Ex altera Euripidis fabula Medea exsule dicta hoc Ennii fragmentum esse conversum iudicabat Victorius Var. lect. 14, 16. Ennii locum ut ex apposito Euripidis adumbratum esse magis etiam mihi persuaderem, me commovit lectio varians, quam docta Spanhemii, ut videtur, possessoris manus Nonii exemplari Merceriano appinxit rubro colore, quo huic exemplari passim cum nota *V. C.*, hoc est *vetus codex*, lectiones adspersae reperiuntur. Legitur ibi *Astum* pro *Asta*, unde facile *Astu* corrigas, quo vocabulo alii quoque scriptores Latini usi sunt. Ad verbum iam vides respondere Enniana *Astu atque Athenas — oppidum* Graecis: ἄστυ καὶ πόλισμα Παλλάδος.

XIV. Ciceroni orat. 46, 155. sine auctoris et fabulae nomine citatum:

neque unquam tuum
In gremium extollas liberorum ex te genus.

viri docti pertinere viderunt ad Eur. 799. seq.

ὧν τ᾽ ἐξ ἐμοῦ γὰρ παῖδας ὄψεταί ποτε
ζῶντας τὸ λοιπόν.

Ut adscripsimus, emendavit Planckius fragmentum Ennii facili admodum transpositione: metrum enim propter praecedens fragmentum efflagitatur iambicum trimetrum.

XV. Nonius p. 84. seq.

salvete optima
Corpora, cette manus vestras, measque accipite.

Eur. 1065. seq.

δότ᾽ ὦ τέκνα,
δότ᾽ ἀσπάσασθαι μητρὶ δεξιὰν χέρα.

Quod Stephanus pro *corpora* legendum esse *pignora* suspicatus est, a Planckio *corpora* pro liberis interpretante reiectum nolim. Nam quae hic ad hanc vocis significationem adstruendam suscitat loca duo, sunt aliena omnino. Altero ex Virg. Aen. 1, 102.

Scuta virum galeasque et fortia corpora volvit

pro cadaveribus *corpora* dici viderunt iam diu interpretes, idque more Homerico dictum, de quo cf. Heynii Obs. ad Iliad. T. 4. p. 454. Altero ex Aen. 2, 18.

Huc delecta virum sortiti corpora furtim

non animadvertit vir doctus periphrasin Graecis indeque Romanis frequentatam vocis σῶμα pro ipsa persona; cf. Brunck. ad Sophocl. Oed. Tyr. 643. et

Seidleri notam ad Eurip. Troad. 206., qua cautum, ne mihi quod ibi legitur τεκέων σώματα et Med. 1108. τέκνων σώματα obiiciantur. Donec certe ex antiquo satis proboque scriptore locus mihi indicetur, quo *corpora* clare liberi vocentur, in eleganti Stephani coniectura puto esse acquiescendum. Bis tantum, quod ego sciam, hoc sensu *corpus* invénitur in Auctoris perquam insulsi Epitome Iliados Homeri 89.

ulciscere meque meumque
Corpus ab Atrida

et 992.

moveat tua Peleus
Pectora pro Priamo, pro nostro corpore Pyrrhus,

posteriori loco cum variante *pignore*. Huic poetae hic vocis usus non dubito quin concedendus sit cum Censore in Ephem. Ien. Litt. 1812. Nr. 20. p. 154., qui non debebat ad partes suas advocare Ovidii Met. 1, 300.

Nunc ibi deformes ponunt sua corpora phocae

nec Fast. 2, 403.

simul ite sub undas
Corpora,

quorum neuter locus huc quadrat.

XVI. Probus ad Virg. Ecl. 6, 31. ex Ennii Medea citat: *Iuppiter tuque adeo summe sol, res omnes qui inspicis, quique lumine tuo maria, coelum ac terras contines, inspice hoc facinus, priusquam fiat, prohibe scelus*, quod ductum procul dubio ex 1246. sic digerendo:

Ἰὼ Γᾶ τε καὶ παμφαὴς
ἀκτὶς Ἀελίου κατίδετ᾽, ἴδετε τὰν ὀλομέναν γυναῖκα, πρὶν
φοινίαν
τέκνοις προσβαλεῖν χέρ᾽ αὐτοκτόνον.

Refingendo Ennii fragmenti metro frustra adhuc insudaverunt. Vossius trochaicos tetrametros huiusmodi esse efficiendos putabat:

Iuppiter tuque adeo summe sol, res qui omnes inspicis,
Qui tuoque lumine mare, terram ac coelum contues,
Inspice haec, facinus priusquam fiat, hoc prohibe scelus.

Eandem rationem secutus Porsonus a Vossio nisi ultimo versu non discedit, quem ita exhibet Probi scripturae propius accedens:

Inspice hoc facinus, priusquam fiat, prohibeas scelus.

Parum vero Ennium credibile est canticum hoc Euripidis grave et concitatissimum, numeris mere dochmiacis ut huic excitato animi statui convenientissimis conflatum languidos in trochaicos tetrametros solvisse. Quod in diverbio tritissimum atque Ennio maxime frequentatum metrum fuisse videtur, non poterat adhiberi in cantico et antistrophico quidem. De Planckii anapaestis a Censore in Ephem Ien. Litt. 1807. nr. 119. p. 342. iam notatis melius tacetur. A metro dochmiaco in Latinum transferendo Ennius abstinuit prudens, quum vehementissimum hoc versuum et volubile genus cum Latinae linguae gravitate et lentitudine conciliari bene non posse intelligeret. Sed idem poeta non potest satis pro felici suo ingenio laudari, quod loco dochmiorum ex eiusdem metri classe creticos effecerit. Atque etiam alios tragoediae scriptores hoc adminiculo creticorum concitato dicendi generi aptissimorum usos esse fortasse hodieque monstrari potest: sed mitto hoc. Enniano hoc fragmento latuisse creticos, miror viros doctos fugisse, disponendos in hunc modum:

Iuppiter tuque adeo summe Sol, res qui omnes
Inspicis, quique tuo lumini mare, terram
Ac caelum contines: inspice hoc facinus prius
Quam fuat, prohibe scelus.

Antiquam Ablativi formam *lumini* revocavi, quam, ut etiam in Dativo, fluctuante usu inter E et I adhuc Ennii et Plauti tempore obtinuisse multis potest ostendi exemplis: cf. Both. ad Plaut. Capt. prol. 15. Restituitur hinc locus Plauti affectus in Cist. 1, 1, 65. ubi etiam Bothius edidit:

SIL. *Quid faciam?* GYM. *In latebras abscondas pectore penitissimo.*

Iam Gulielmus Quaest. Plaut. Epidic. c. 3. p. 141. legendum ex Charis. 2. p. 170. (ubi ap. Putsch. male *Mostellaria* pro *Cistellaria* editum) suadebat *pectoris penitissime*, quod collaudavit Bothius. Neuter tamen a Charisio *pectori*, antiquam Ablativi formam esse citatam intellexit. Ut fere a Charisio versus laudatur, a poetae manu profectus esse videtur:

SIL. *Quid faciam?* GYM. *In latebras abscondas pectori penitissime.*

Iovem, qui cur loco Γᾶς Euripidis substitutus sit, quaeri potest, poeta videtur sumpsisse ex v. 762., nisi mavis ex priori fabulae recensione, ubi alia fortasse contexta ferebantur.

XVII. Ex eodem cantico est, quod citat Nonius p. 170, 10. credo iambicum:

Sol qui candentem in caelo sublimas facem.

Eur. 1254.

Ἀλλά νιν, ὦ φάος διογενὲς, κάτειργε,

unde patet recte a VV. DD. repositum esse *sublimas* pro vulg. *sublimat*. Mercerus perperam *qua*, quod

iam a Godofredo in *qui* mutatum est, etiam codice Guelph. firmatum.

XVIII. Ad calcem huc fragmentnm, cuius in Graeca fabula locus designari non potest, relegamus ex Medea aliqua Varroni de L. L. 5, 7. p. 67., ex Ennio titulo fabulae suppresso Diomedi 2. p. 449. citatum, Pacuvio a Nonio p. 197, 35. tributum, sine auctoris et fabulae nomine a Pompeio in Commentario MS. in Donatum apud Ruhnken. ad Iul. Rufinian. de schemat. lex. 40. p. 262. laudatum:

Quis tu es mulier, qui me insueto nuncupasti nomine,

quod Planckius misere in trimetros diremit. De fragmenti auctore potest fortasse dubitari, quum Pompeius hoc versu apposito pergat his verbis: *Quis* [sic] *mulier habemus et in Ennio* et *Pacuvio*, quamquam non puto hoc magnopere premendum, simillimis aliorum grammaticorum citationibus edoctus. Antiquiorum scriptorum, Varronis et Diomedis, auctoritatem secutus, utrum Nonii vitium ex ipsius an librariorum ignorantia fluxerit, in medio relinquo. Perperam etiam Nonii exemplar: *Quisquis*. Voce *insueto* vitiose omissa Pompeius *hoc* inserit, quod sincerum est. Hinc legendum:

Quis tu es mulier, qui me insueto hoc nuncupasti nomine.

XIX. Fragmentum Ciceroni Ep. ad Fam. 7, 6. et Offic. 3, 15, 9. laudatum:

qui ipsus sibi
Sapiens prodesse nequit, necquidquam sapit,

quod ex Medea Ennii non citari, summis opibus frustra contendebat Planckius p. 69. seq., ex versu prioris Euripideae recensionis pluribus auctoribus decantatissimo:

μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός

originem duxisse, pervidit Boeckhius de Trag. Graec. p. 171. Nec latet caussa, cur hic versus a poeta in secunda fabulae editione expunctus sit, quum pulchram poetae derisoribus copiam illudendi praeberet. Ac re vera hoc factum esse, eo colligitur, quod hic versus etiam inter Menandreos fertur, quem in eius Ἑαυτὸν τιμωρουμένῳ fabula positum fuisse docet Terentii imitatio in Heaut. 5, 1, 49. 50.

XX. Ennii ex Medea laudari, quod citat Cicero de N. D. 3, 26, 67., apparet, si quae praecedunt hoc Ciceronis loco fragmenta, ex eadem desumpta esse fabula supra demonstratum est:

postquam pater
Appropinquat, iamque paene ut comprehendatur parat;
Puerum interea obtruncat membraque articulatim dividit,
Perque agros passim dispergit corpus: id ea gratia,
Ut, dum nati dissipatos artus captaret parens,
Ipsa interea effugeret, illum ut moeror tardaret sequi,
Sibi salutem ut familiari pareret parricidio.

Vana est super hoc fragmento quaelibet coniectura, quo Euripideae fabulae loco reponendum sit: ne suspicari quidem licet, cuius personae ori verba haec tribuenda sint. Non tamen potest de Ennio auctore dubitari cum Planckio, qui totum mavult adiudicare Attii Medeae fragmentum; quam vereor, rem ut cuiquam persuadeat. Id certe ex hoc loco perspicitur, narrationem Medeae fugae ex Colchide copiosis satis verbis descriptam priori recensioni ab Euripide intextam fuisse.

CAPUT SEPTIMUM.

Ennii Hecuba cum Graeca Euripidis fabula comparatur.

Quod ad Medeam Ennii illustrandam nobis praefandum fuit, etiam Hecubam eius attingit. Ubi enim numerus ex tragoedia aliqua Latina veteri fragmentorum satis magnus reperitur, quorum loci in Graeco exemplari indicari non possunt, quamvis si sensum eorum respicis, ea ex Graeca fabula persuadeare translata esse: sponte exoritur suspicio, ne Latinus poeta Graecum exemplar tragoediae a superstite singulis membris diversum usurpaverit. Quod indicium ad comicos poetas minus pertinet, quam ad tragicos, quos severa tragicae poesis indoles et certum cuiusque fabulae argumentum in transferendo exemplari Graeco liberius excurrere restrinxit. Idem in Hecuba Ennii factum, quod de Medea suspicatus sum. Permulta enim ex Hecuba fragmenta quum exstent, quae nulli Graecae Euripidis tragoediae loco respondeant, etiam de duplici Graecae fabulae recensione, quarum alterutra Ennius usus sit, coniecturam feci, quam monstratis

aliquot duplicis fabulae editionis vestigiis confirmaturus sum: rem autem ad umbilicum perducere quum non huius loci sit, aliis, quibus id studii genus perplacet, relinquo exsequendum.

De duplici lectione antiquis iam temporibus obtinente Porsonus passim monuit, velut ad v. 215. Quod in Medea Euripidem, ut acerrimos Aristophanis sales effugeret, qui nonnullos Medeae locos dederat derisos, in posteriori fabulae recensione aliquot locos correxisse vel immutasse docuimus, etiam in Hecubam cadit, cuius rei exemplum sat evidens exstat. Eustathius ad Odyss. r. p. 1467,36. ex Aristophane hoc fragmentum servavit:

καὶ κύων ἀκράχολος
Ἑκάτης ἄγαλμα φωσφόρου γενήσομαι,

quo perstringi bene monuit Porsonus ad Hecub. p. 96. ed. Lips. Euripidis apud Plutarch. de Is. et Osir. p. 379. E.

Ἑκάτης ἄγαλμα φωσφόρου κύων ἔσει.

Hunc autem versum in priori fabulae recensione loco versus 1255.

κύων, γενήσει πύρσ' ἔχουσα δέργματα

lectum esse, extra omnem dubitationis aleam positum est. Aliud adiiciam exemplum, quo Hecuba Euripidis ansam deridendi quantopere Aristophani dederit, patefiat. V. 173. seq. Hecuba his verbis Polyxenam ex aedibus excitat:

ὦ τέκνον, ὦ παῖ
δυστανοτάτας ματέρος, ἔξελθ',
ἔξελθ' οἴκων· ἄϊε ματέρος
αὐδὰν, ὦ τέκνον.

Hic locus a comico respicitur in Nub. 1161., quod nondum animadversum est: ibi Phidippidem ex aedibus provocans Strepsiades his verbis alloquitur:

ὦ τέκνον, ὦ παῖ παῖ
ἔξελθ' οἴκων· ἄιε σοῦ πατρός.

Ad haec Scholia codicis Leidensis ex schedis Ruhnkenii edita a Tittmanno in *Ruhnkenii et Valckenarii Epistolis ad Ernestium* p. 124.: ὁ Εὐριπίδης ἐν τῷ τῆς Ἑκάβης δράματι δὶ αὐτῆς φησιν· ὦ παῖ παῖ, Πολυξένη δηλονότι, ἔξελθ' ἔξελθ' οἴκων.

Etiam in ipsis grammaticorum citationibus et lectionis varietate vestigia duplicis recensionis reperisse mihi videor, quorum nonnulla ex pluribus hic annotabo.

V. 6.

δείσας, ὑπεξέπεμψε Τρωϊκῆς χθονός

Grammaticus apud Hermann. de emend. gr. gr. rat. p. 387. citat:

λάθρα μ' ὑπεξέπεμψε Τρωϊκῆς χθονός,

quem v. 4. hinc suspicor ὅς τ' pro ὅς μ' legisse.

V. 297.

τὸ δ' ἀξίωμα, κἂν κακῶς λέγῃς, τὸ σὸν πείσει.

Gellius 11, 4. νικᾷ pro πείσει suo in codice reperit.

V. 300.

τίς ἐστιν οὕτω στεῤῥὸς ἀνθρώπων φύσις

Porsonus sic ex uno Gregorio Cor. de dial. p. 26. Koen. edidit. MSS. et Ald. οὐκ ἔστιν, quod non deterius.

V. 316.

χρώμεσθ' ἐπεὶ δ' ὄλωλε, μὴ χρώμεσθ' ἔτι,

Hermannus ἄπεστι edidit pro ὄλωλε, e membranis Brunckii.

V. 337.

τολμᾶν θ' ἃ μὴ χρὴ, τῇ βίᾳ νικώμενον

Stobaeus LXII. p. 237. κρατούμενον, ut etiam alter Harleianus.

V. 382.

ἢ ζῶν. τὸ γὰρ ζῆν μὴ καλῶς, μέγας πόνος

Stobaeus Grotii p. 133. ζῆν ἐν κακοῖς. Paullo ante v. 379. pro κακῶν idem Stobaeus πόνων.

V. 513.

ἥκω μεταστείχων σε· πέμπουσιν δέ με

Harleian. μεταστελῶν.

V. 668.

δέσποιν', ὄλωλας κοὐκέτ' εἶ βλέπουσα φῶς

Paris. κοὐκέτι βλέπεις φάος.

V. 692.

Praefigitur αἲ αἲ κακῶν in codd. nonnullis.

V. 858.

οὐκ ἔστι θνητῶν ὅστις ἔστ' ἐλεύθερος,

Aristoteles Rhetor. 2, 21. ἔστιν ἀνδρῶν.

V. 959.

ἤδη πόδ' ἔξω δωμάτων αἴροντί μοι

Parisiensis ἕλκοντι.

V. 1136.

λόγῳ με τοιῷδ' ἤγαγ', ὡς κεκρυμμένος

Maior codicum pars δόλῳ.

V. 1170.

ἅπαντα ταῦτα συντιμῶν ἐγὼ φράσω

Stobaeus Grotii p. 308. et Paris. συντιθείς: at Porsonus ex v. 1174. illatum censet.

V. 1051.

ποίαν, ἢ ταύταν, ἢ τάνδ' ἐξαλλάξω

Dionys. Hal. de compos. verb. T. 2. p. 29, 8. Huds. Σπονδεῖος ἀξίωμα ἔχει μέγα καὶ σεμνότητα πολλήν. Παράδειγμα δὲ αὐτοῦ τόδε· Ποίαν δῆθ' ὁρμάσω, ταύταν ἢ κείναν, κείναν ἢ ταύταν, ubi hic locus a Dionysio in animo habitus esse videtur. Scripsit alterutra recensione fortasse Euripides:

ποίαν δῆθ' ὁρμάσω, ταύταν
ἢ κείναν, ἢ τάνδ' ἐξαλλάξω.

Maluit locum Porsonus ad v. 165. referre, quicum tamen a metro non satis commode concinnari potest.

V. 1244.

οὔκουν δικαίως εἴπερ εἴργασαι κακά

Schol. Townleian. Iliad. ν, 154 εἴπερ εἴργασται τάδε, ubi Porsonus εἴργασαι legi voluit.

Sed de his satis dictum. Posteriorem fabulae editionem nobis conservatam esse, veri similius est, quam priorem, quamquam hoc certo non potest evinci. Ennium autem recensione, quae a superstite nostra differat, usum esse, docent fabulae fragmenta a contextibus Graecis tantopere saepe discrepantia, ut alia contexta Ennium ante oculos habuisse non sine iure coniicias. Quam rem singulis fragmentis recensendis, eodem ordine, ut in Medea factum, dispositis, age comprobemus.

I. Cic. Tusc. 1, 16, 37.

Adsum atque advenio Acheronte vix via alta atque ardua
Per speluncas saxis structas asperis, pendentibus,
Maximis ubi rigida constat crassa caligo inferum,

quibus iungenda, quae a Cicerone paullo post laudantur,

Unde animae excitantur obscura umbra aperto ostio
Alti Acherontis, falso sanguine, imagines mortuorum,

Ita Ernestius edidit. Euripides v. 1.

Ἥκω νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας
λιπὼν ἵν' Ἅιδης χωρὶς ᾤκισται θεῶν.

Principio hoc fabulae fortasse duplicis recensionis vestigium deprehenditur, quum Ennius hunc Euripidis locum multo ampliorem et magis exaggeratum, quam hodie legitur, usurpasse videatur. Atque locum a poeta retractatum in posteriori editione esse inde veri simile fit, quod is comicis deridendi et eludendi bellam praebebat occasionem: quod ab Aristophane vere factum esse ostendit Porsonus ad h. l. Conf. Valcken. ad Phoen. p. 216. At argumentum ad demonstrandam duplicem recensionem hinc peti non debet, quod Ennius Graecis trimetris iambicis trochaicos tetrametros catalecticos substituerit: Euripides certe trochaico metro in prologo uti non potuit. Sed id more suo mutavit Ennius hoc loco et alibi in Medea. Cf. Censor in Ephem. Litt. Jenens. 1813. Nr. 239. p. 410. Atque hic Ennii usus in ipsis Hecubae fragmentis infra patebit.

Versus quartus a metro laborans an Gerh. Vossii coniectura *apertoque* ad colores pristinos restitutus sit, recte dubitat Hermannus ad Hecub. p.

60.: ego prorsus nego, quum inserta copula oratio admodum languide procedat. Sed quam Hermannus excogitavit medelam, nemini credo eum esse persuasurum. Nescio an facili mutatione versus emendetur:

Unde animae excitantur umbra obscura adaperto ostio.

Quam reposuimus vocem, librariis propter eius raritatem facile ignoratam, comprobaverunt Casaubonus ad Sueton. Aug. 53. Drakenborch. ad Liv. 25, 30, 10. Adde Ovid. Amor. 1, 5, 3. Eiusmodi est vocabulum *adopertus*. Sed quod in diaeresi post *umbra* hiatum admisimus, id copiosius alio loco asserendum videtur. Nunc placet tantum aliquot adscribere exempla: Plaut. Epid. 1, 1, 56.

Qu [sic] *ita? Quia cottidie ipse ad me ab legione epistolas*

2, 2, 39.

Quid erat induta? An regillam induculam, an mendiculam

Mil. 2, 2, 82.

Nunc sic rationem incipissam, hanc instituam astutiam

2, 3, 8.

Maximum in malum cruciatum insiliamus. Tu sali

Adde ex innumeris fere locis: 2, 3, 37. 3, 1, 43. 89. 4, 8, 13. 21. 47. 66. 5, 5. 9. 15. Aul. 2, 1, 54. 2, 55. 74. 3, 4, 3. 4, 4, 19. Amph. 1, 1, 151. 245. 2, 2, 144. Non igitur opus cum Bothio, qui etiam reliquis fere omnibus locis citatis medicinam adhibet, corrigere sanos locos, ut Capt. 2, 3, 78.

Scito te hinc minis viginti aestimatum mittier

nec mox v. 89.

Sequere me viaticum ut dem hinc a trapezita tibi.

Apud Terentium contra ne unum quidem huius licentiae exemplum inveneris.

Ultimum versum restituit Hermannus ad hos suos numeros:

Alti Acheronis salso sanguine mortuorum imagines.

Restat solum ut de *salso sanguine*, quod ex Columnae coniectura fluxit, paucis dicatur, quum quod in codicibus vulgatur *falso*, defensorem nuper invenerit in Doederleinio Spec. nov. edit. Sophocl. p. 103, *sine sanguine* interpretante: quo significatu vereor ut vocem ille cuiquam probaverit. Quod Columna coniecit, verissimum est: salsum enim sanguinem veteres tribuebant mortuis. Attius in Epinausimacha apud Non. p. 192, 1.

Sanguine undam salso sanctam obtexui Scamandriam,
Atque acervos alto in amni corpore explevi hostico.

Pertinet huc Ennii locus e Cresphonte apud Macrob. 6, 2. ita scribendus:

Nec terram iniicere, cruenta neque
Convestire mihi corpora licuit,
Nec miserae laverunt lachrymae
Salsum sanguinem,

nisi poeta *sanguen* scripsit.

II. Nonius p. 223, 24.

undantem salum

Eurip. v. 26. ἐς οἶδμ' ἁλός, ibique Herm. Sed potest eodem iure referri ad v. 637. ἅλιον ἐπ' οἶδμα.

III. Nonius p. 507, 18.

Senex sum, utinam mortem oppetam, prius quam evenat,
Quod pauperie mea senex graviter gemam.

Euripides v. 501.

> *φεῦ φεῦ·*
> *γέρων μέν εἰμ'· ὅμως δέ μοι θανεῖν*
> *εἴη, πρὶν αἰσχρᾷ περιπεσεῖν τύχῃ τινί.*

Ut Ennii locum adscripsimus, disposuerunt Porsonus et Hermannus rectissime, praeterquam quod uterque atque etiam Nonius ipse magister in vocis *evenat* forma, ad quam confirmandam hoc ex Hecuba fragmentum hic excitavit, falluntur. Pro *evenat*, quod nihili est, salvo metro legendum esse *eveniat*, iam intellexit Vossius Castig. in vet. trag. p. 29. Res, quae latius patet quam his in angustiis ut absolvi queat, eiusmodi locis conficitur, quibus pes trisyllabus senarii fine in pronunciatione duas syllabas fere sonat, veluti Asin. 4, 1, 36.

> *Deam invocet sibi, quam lubebit, propitiam*

v. 38.

> *Tibi dicat, tu pro illa ores, ut sit propitius*

Truc. 3, 2, 14.

> *Heus tu iam, postquam in urbem crebro commoveo*

Ieiune Bothius *commeo:* de neutrali verbi usu cf. Ter. Eun. 5, 3, 4. Ephem. Litt. Jen. 1812. Nr. 19. p. 151. Neque aliter explicanda est dictio, in qua ad *movere* vulgo suppletur *castra*. Nihil igitur in eius generis locis, quos omnes Bothius mutat, novandum, ut Curc. 1, 1, 39.

> *Lenonis hae sunt aedes. Male istis eveniat*

Pseud. 4, 3, 13.

> *Quum haec metuo, metuo, ne ille huc Harpax advéniat*

Trin. 1, 2, 3.

Bona, fausta, felix, fortunataque eveniat

et v. 56.

Ad amici partem, an ad inimici perveniant

ubi Hermannus praef. p. XIX. seq., ut supra *eve-nat,* editum *pervenant* defendere studet. Adde tragici incerti locum apud Cic. de divin. 1, 50, 114., quo hic usus bis recurrit:

Eheu, videte: iudicavit inclytum
Iudicium inter deas tres aliquis; quo iudicio
Lacedaemonia mulier, furiarum una adveniet.

In Terentio unum hujus usus animadverti exemplum, in Andr. 4, 5, 2.

Quae sibi inhoneste optavit parere hic divitias

ubi vide Faernum. Nam in Adelph. prol. 8. Faernus et Bentleius recte uno quoque concinente cod. Berolinensi:

In Graeca adulescens est, qui lenoni eripit,

et Adelph. 1, 1, 15.

Atque ex me hic natus non est, sed ex fratre. Is adeo

corruptus esse a fine videtur. Dele posterius *ex,* nisi auctoritate unius cod. Berol. praestantissimi *est* mavis eiicere. Ceterum ut prius hemistichium a Bentleio correctum est, ita servant tres Berolinenses.

IV. Varro de L. L. 6, 2. p. 81. Bip.

O magna templa caelitum
Commixta stellis splendidis.

Euripides v. 68. ὦ στεροπὰ Διὸς, ὦ σκοτία νύξ.

V. Nonius p. 342, 23.

Quae tibi in concubio verecunde et modice morem gerit.

Euripides v. 822.

Ποῦ τὰς φίλας δῆτ' εὐφρόνας δείξεις, ἄναξ,
ἢ τῶν ἐν εὐνῇ φιλτάτων ἀσπασμάτων
χάριν τιν' ἕξει παῖς ἐμὴ, κείνης δ' ἐγώ;

VI. Non sine specie veritatis Hermannus l. l. p. 167. quod Varroni de L. L. 4, 3. p. 8. et Ciceroni de orat. 3. 40, 162. sine adiecto fabulae nomine citatur:

Caeli ingentes fornices

translatum suspicatus est ex Eurip. v. 1091. seq.

Αἰθέρ' ἀμπτάμενος οὐράνιον
ὑψιπετὲς εἰς μέλαθρον, Ὠρίων.

VII. Nonius p. 153, 28.

Sed nunquam scripsisis, qui parentem aut hospitem
Necasset, quo quis cruciatu perbiteret.

Sic emendatum comparavit Hermannus p. 172. seq. bene cum Eur. v. 1237.

τάχ' οὖν παρ' ὑμῖν ῥᾴδιον ξενοκτονεῖν.

VIII. Gellius 11, 4.

Haec tu etsi pervorse dices, facile Achivos flexeris:
Nam quum opulenti loquuntur pariter atque ignobiles,
Eadem dicta, eademque oratio aequa non aeque valet.

Praestat pro *tu etsi* ex duobus codd. Lugdun. *tametsi* legere. V. 2. non opus est Porsoni coniectura, quam Herm. p. 103. secutus est, *Nam opulenti quum loquuntur*, quum hiatus post vocem *quum* quo vindicetur habeat. Quem Scaligeri super hoc loco iuvat audacia, is eius notas ad Varr. de L. L. 9. T. 2. p. 270. seq. ed. Bip. adeat. Hos versus ex Eurip. v. 297. Gellius indicavit depromptos esse:

τὸ δ' ἀξίωμα κἂν κακῶς λέγῃς, τὸ σὸν
πείσει· λόγος γὰρ ἔκ τ' ἀδοξούντων ἰὼν
κἀκ τῶν δοκούντων αὑτὸς οὐ ταὐτὸν σθένει.

IX. Nonius p. 115, 33.

Vide hinc meae, inquam, lachrymae guttatim cadunt.

Fluxit ex Eurip. v. 528. seq.

νῦν τί γὰρ λέγων κακὰ
τέγξω τόδ' ὄμμα.

X. Quod non indicato fabulae titulo Cicero de fin. 2, 13, 41. ex Ennio citat:

nimium boni est, cui nil est mali

ex Eur. 631. seq.

κεῖνος ὀλβιώτατος
ὅτῳ κατ' ἦμαρ τυγχάνει μηδὲν κακόν

ductum esse, Columna et post eum alii ad Ciceronis locum annotaverunt. Fragmentum ipsum Hermannus p. 136. cur ita tentaverit:

Nimium boni est, cui nil mali est

nondum assecutus sum: iambicum trimetrum requiri apertum est, atque eum fere integrum praestat lectio, quae vulgatur.

Praeter haec fragmenta etiam alia ex eadem Enniana fabula laudantur, quibus qui locus in Euripidea fabula fuerit, indicatu difficilius est, quam viris doctis videtur. Ad Eurip. v. 596.

εἰ γῆ μὲν κακὴ,
τυχοῦσα καιροῦ θεόθεν, εὖ στάχυν φέρει,
χρηστὴ δ', ἁμαρτοῦσ' ὧν χρεὼν αὐτὴν τυχεῖν,
κακὸν δίδωσι καρπόν

quo iure Columna et Hermannus illud ex Cic. Tusc. 2, 4. retulerint:

Probae etsi in segetem sunt deteriorem datae
Fruges, tamen ipsae suapte natura enitent

neuter defendere possit: nam uterque locus sensu discedit. Nec poterit certum de his versibus iudicium antea ferri, quam ipse Ciceronis locus codicum, non virorum doctorum acuminis ope restitutus sit. Si in Mureti emendatione, quam amplexus est Wolfius, interim persistendum est, hi versus Attii sunt, non Ennii: sed de emendationis veritate potest adhuc dubitari. Certe si hoc fragmentum Ennii est, atque Ennius laudatum Euripidis locum respexisse putandus est, diversa a nostra lectione secutus esse videtur contexta.

Non feliciori successu Hermannus p. 149., quod apud Auctorem libror. ad Herenn. 4, 12, 18. omisso fabulae nomine legitur,

Quidquam quisquam cuiquam quod conveniat, neget,

expressum dixit ex Eurip. v. 838. seq.

Ἐσθλοῦ γὰρ ἀνδρὸς, τῇ δίκῃ θ' ὑπηρετεῖν
καὶ τοὺς κακοὺς δρᾷν πανταχοῦ κακῶς ἀεί.

Etiam magis incertum est Hermanni iudicium de nonnullis Ennii versibus plerumque non adiecto fabulae titulo laudatis suo quoque loco reponendis, ut de eiusmodi locis apud Non. p. 224, 7. 466, 27. 504, 6.

Hei me miserum, interii, pergunt lavere sanguen sanguine,

Non. p. 474, 30.

miserete anuis,

Date ferrum, qui me anima privem.

Festus v. *Tam.*

illa me
Tam potis pacis potire.

Sic locum parum probabiliter Hermannus tentavit, ut efficeret eum cum Graeco exemplari congruum. Nonius p. 116, 29.

Iuppiter, tibi, summe tandem mala re gesta gratulor.

quod ita concinnandum:

Iuppiter, tibi,
summe, tandem mala re gesta gratulor,

Cic. de orat. 3, 38, 154. et orator. 49, 164.

Num non vis huius me versutiloquas malitias

et de orat. 3, 39, 158, ita digerendum:

quandoquidem
Iste circumvestit dictis, saepit sedulo.

Omnibus his fragmentis, quorum minima pars ex Hecuba Ennii laudatur, suos in Graeca fabula locos Hermannus vindicare studet, quem conf. ad Hec. p. 89. 99. 102. 156. 170. Sed si quis haec Euripidis loca ab Hermanno collata cum Ennianis comparaverit, ea intelliget minime convenire. Nec tamen idcirco ea, quae vere ex Ennii Hecuba citantur fragmenta ex alia Ennii tragoedia esse putanda sunt, quum qua ratione haec ex Enniana fabula Hecuba deprompta esse possint, supra demonstratum sit.

Restat ut de Quintiliani Instit. orat. 9, 3, 77. loco dicatur etiam post Spaldingii curas adhuc affecto. Legitur ibi: *Sed in quaternarias quoque ac plures haec ratio ire sententias potest. Fit etiam singulis verbis: Hecuba, hoc dolet, pudet, piget et Abiit, excessit, erupit, evasit.* Burmannus verba *hoc dolet, pudet, piget* ex tragoedia aliqua *Hecuba* censebat decerpta; Planckius ad Enn. Medeam p. 131. Ennii esse suspicabatur collato Eu-

ripidis Hecub. 556., qui locus cum Latino ita non congruit, ut hic ex illo expressus esse non possit. At uterque falsus est, quum non animadverterent, quod etiam Spaldingium fugit, requiri necessario ex Quintiliani mente exemplum quater repetiti ὁμοιοτελεύτου ut in verbis *Abiit* etc.; atque quartum hoc ὁμοιοτέλευτον in lectionibus codicum *Haeccuba, Haec cubat* corruptis latere, apertum est. Sed veram loci scripturam etiam divinare admodum difficile est, ne dicam temerarium. Satius duxi locum notare, quam emendare.

CAPUT OCTAVUM.

De caussis Plautinarum fabularum interpolationis.

Quod in arte critica alicui veterum scripto recte adhibenda summi esse momenti putatur, ut ea quae crisi subiiciantur, utrum ab eo auctore, vel ea aetate, qua composita esse praedicentur, vere profecta, an alii auctori vel aetati attribuenda sint, liquide constet, ea praecipue nititur quaestione saepe difficillima, num ea opera, ita ut ad nos pervenerunt scripta eius auctoris, cuius nomine vulgo ferantur, esse possint. In qua quaestione id primum est explorandum, qua via et ratione eiusmodi veterum scripta evulgata ab auctoribus et ad nostram usque aetatem propagata sint, ut appareat an ea ita, ut ex auctoris manibus prodierunt, aetatem nostram potuerint ferre, vel quomodo factum sit ut ea scripta interpolatorum manus tum integros libri locos immutantium tum suos fetus pro genuinis spurios subiicientium, experta sint. Haec cum ad plurimam antiquorum scriptorum partem tum maxime ad fabulas pertinent, Plauti nomine pervulgatas, quarum num genuinae

sint omnes, magna apud vetustissimos Latinae antiquitatis perscrutatores iam fuit dubitatio et dissensus. Quae dubia ut appareat quomodo exorta sint, ipsa via primum monstranda est, qua Plautinae fabulae ad eorum grammaticorum aetatem delatae sint.

Comoedias ea aetate, qua Plautus vixit, quum nonnisi eo consilio, ut in scaena agerentur, componi solitas, minime ut domi a quovis legerentur constet scriptas esse, Plautinarum fabularum exemplaria probabile est nonnisi actorum manibus magnopere trita fuisse. Aetate igitur ea hae fabulae sicubi a poeta prodierant, gregi histrionio traditae, atque huic unice relictae esse videntur. Res paullo altius repetenda ita fere habebat. Genus comoediae in scaena actae id, quod *palliatae* nomine appellabatur, populo Romano inter alia spectacula non displicuisse, Aediles curules quum semel animadvertissent, hoc sibi impositum putabant, ut quotiens ludi Romae munere edendi publico essent, palliatas in scaena agi curarent, qua re populo voluptatem afferrent, sibimet autem populi favorem conciliarent. Quamobrem a poetis fabulas pretio emebant, ludis proximis posthac agendas. Plautum hinc ad vitam alendam fecisse quaestum, narrat Gellius 3, 3. his verbis: *In pistrino eum Varro et plerique alii memoriae tradiderunt, quum pecunia omni, quam in operis artificum scaenicorum pepererat, in mercationibus perdita, inops Romam rediisset et ob quaerendum victum ad circumagendas molas, quae trusatiles appellantur operum pistori locasset.* Hieronym. Chron. ad olymp, 104. de Plauto: *qui propter annonae difficultatem ad molas manuarias pistori se locaverat. Ibi quoties ab opere*

vacasset, scribere fabulas solitus et vendere. Rem magis habemus compertam in Terentio, de cuius Eunucho haec Donatus argum. ad hanc fabulam tradit: *Acta est tanto successu ac plausu atque suffragio, ut rursus esset vendita et ageretur iterum pro nova, proque ea pretium, quod nulli ante ipsam fabulam contigit, octo millia* [sic corrig. ex Suetonii vita Ter. 2., quem Donatus exscripsit] *sestertium numerarent* [scil. Aediles curules] *poetae.* Adde quae ipse narrat Terentius prologo ad hanc fabulam v. 19. 20. Cf. Heaut. prol. 46. seq. Sueton. l. l. Livii autem Andronici aetate quaestum fabulis vendendis facere, nondum in usu fuisse videtur, quum Livii opera in scribendis fabulis agendisque collocata aliud praemium tulisse ex Festi loco v. *Scriba* colligatur. Cf. Planck. ad Enn. Med. p. 39. seq.

Fabula anteaquam ageretur, censori ab Aedilibus, ut videtur, constituto recitanda erat, ut is fabulam an agere liceret, iudicaret. Exemplo est Andria Terentii, quam poeta Aedilibus quum dedisset, Caecilio ante teste Suetonio vit. Ter. 2. praelegere iussus est. Hunc autem censorem *Caecilii* nomine quum appellare audemus, videtur id confirmatione egere, praesertim quum *Caecilii* nomen in Suetonii loco etiam Wolfio expellendum visum sit. Caecilii nomen, quod Muretus et Heinsius restituendum [1]) egregie viderunt, comprobatum Hieronymo in Euseb. Chron. ad olym. 155, 3.,

---

1) Eiusdem poetae nomen moneo in transcursu etiam Rabano Mauro de art. gramm. 2. T. 1. p 47. ed. Colon., ubi *Coelii* vulgatur, vindicandum esse. Eandem medelam Ruhnkenius adhibuit Rufiniano de fig. 19. p. 211.

cuius auctoritas in hac re summa est, quum is Donati, qui Suetonii libellum excerpsit, praeceptoris [2]) sui, verba ante oculos habuisse videatur, interpretes Suetonii et Gronovius ad Gell. 17, 21. ferri eam ob caussam non posse annotaverunt, quod Caecilius poeta ante actam Terentii Andriam mortuus iam fuisset. Atque id recte, si quidem Andria a. u. c. 587. acta est secundum Pighii calculum in Annal. T. 2. p. 388. Sed qui hunc secuti sunt, falsi sunt omnes. Nam quum Andriam bis actam esse tum prologus tum Suetonii et Hieronymi loci, quibus *prima Andria* memoratur, satis affirment, quod Terentii interpretes adhuc fugit, non potest dubitari, quin didascalia superstes, quae utrum ad primam an ad secundam fabulae actionem pertineat, clare expressum non est, ad posteriorem actionem referenda sit, quum didascaliam posterioris fabulae editionis, quam prioris veri sit similius esse nobis conservatam: quod etiam in didascalia ad Adelphos accidit, quam fabulam bis actam esse prologus testatur. Igitur quod argumentum ad exstirpandum Caecilii nomen ex consulatus in didascalia indicati anno petitur, apparet esse nullum. Quidni iam priorem Andriam Caecilio adhuc vivo actam esse statuamus, quum ea aliquot annis ante M. Marcelli et Cn. Sulpicii consulatum edita esse necessario putanda sit? Erravit igitur etiam Donatus, quum in praef. ad Andr. M. Marcello et Cn. Sulpicio actam eam *primam* refert, vel epitomator, qui eius commentarios transcribens vocabulum *prima* de suo adiecit.

2) Vide Hieronym. in Eccles. cap. 1.

adiecit. — Sed redeundam iam ad munus illud censoris, cui quum recitaretur fabula, id quoque suspicor animadvertendum fuisse, ne singuli homines forte in ea comicis salibus a poeta carperentur. Singulari enim XII. tabularum lege, de qua adeas Cic. de republ. 4. apud Augustin. de Civ. Dei 2, 9., cautum erat, ne principes civitatis carmine palam laederentur: cf. Auct. Rhetor. ad Herenn. 2, 13, 19. Quam Naevius legem quum posthabuisset, in carcerem coniectus est, teste Gellio 3, 3. ubi v. Gronov. Scipionem enim Africanum et Metellos Naevius calumniosis in scaena dictis perstrinxerat, quae adhuc servantur apud Gell. 6, 8., ubi Scipionem Saturniis versibus calumniatur ita refingendis:

Etiam
Qui res magnas manu saepe gessit gloriose;
Cuius facta viva vigent nunc; qui apud gentes solus
Praestat: eum suus pater cum pallio una ab amica
Abduxit.

Cf. Cic. l. l. et ipsum Augustin. 2, 12. De Naevii dictis in Metellos invidiosis v. Terent. Maur. p. 2439. Attil. Fortunat. p. 2679. Ascon. ad Cic. Verr. 1, 10.

Haec eo omnia a nobis consilio allata sunt, ut poetae, Aedilibus simulac fabulam vendidisset, omne ius in fabulam abrogatum ac fabulam ipsam soli Aedilium voluntati in eo aliquid vel immutandi vel prorsus delendi relictum esse demonstraretur. Aediles fabulam quum pretio emptam possiderent, nihil magnopere curabant, ut agenda fabula quem haberet auctorem poetam indicaretur; agi eam satis iis videbatur, an placitura esset, unice interesse reputantibus. Huc pertinet quod de Adelphis Donatus in praef. narrat: *Itaque sic pronuntiatam*

ADELPHOE TERENTI, non TERENTI ADELPHOE, quod adhuc magis de fabulae nomine poeta quam de poetae nomine fabula commendabatur. Idem praef. ad Andriam: *Pronuntiataque est ANDRIA TERENTI ob incognitum adhuc nomen poetae et minoris apud populum auctoritatis et meriti.*

Eo iam temporis spatio anteaquam fabula primum agebatur, fabulam aut Aedilium ipsorum vel constituti ab iis censoris manus interpolatrices suspicor saepenumero passam esse, etsi id singulo loco monstrari hodie non potest: aut fabula posthac acta quum populi plausu non exciperetur, ideoque fortasse non peracta esset, poetae fabula cum iussu ut eam retractaret, ab Aedilibus interdum reddita ac postea secundis curis perpolita denuo acta est, ut in Terentii Hecyra factum videtur. Vivo adhuc poeta actio eiusdem fabulae quotiescunque repeteretur, etsi res ipsa doceat, fabulam secundis curis denuo subiectam, aliquoties emendatiorem et ab ipso auctore singulis locis mutatam esse actam: tamen id nostra parum refert, quamdiu fabulae correctio ab ipso auctore instituebatur. Nec dissimile veri est, fabulas Terentianas (de his enim maxime nobis constat) tales nostram tulisse aetatem, quales e poetae manibus post ultimam actionem prodirent. Atqui eas Terentio iam diu mortuo denuo actas esse, per se intelligitur, et de una argumento, quod his fere diebus primum innotuit, evidenter probari potest. Auctore adhuc vivo Adelphos fabulam bis esse editam, satis ex prologo perspicitur, qui ad secundam actionem necessario pertinet. Eandem autem posteriori quoque

tempore multo post Terentii mortem, quae teste Sueton. vit. Ter. 5. in a. u. c. 595. incidit, repetitam esse, docet huius fabulae didascalia a Maio in cod. Ambros. nuper reperta et ad calcem libelli de Plauti fragm. p. 52. edita:

Graeca Adelphoi Menandru
Acta ludis plebeiis
Cn. Balbio Cn. Terentio aedilibus plebis
L. Publilius [Publius?] Pollio
Marcipor (Opii)
Tibiis serranis totam
C. Sulpicio C. Aurelio consulibus.

Quam didascaliam ex indicato consulatus anno patet referendam esse ad fabulae actionem, quae a. u. c. 646. evenerit. Hinc autem etiam apertum fit aut scribam in scribendis consulum nominibus, falsum esse, aut Maii in legendis praenominibus oculos paullum caecutivisse: manifeste enim Servius Sulpicius Galba et Marcus Aurelius Scaurus significantur.

De Terentianis igitur fabulis hoc si constat, nonne ad Plautinas id multo magis pertinebit, ad quas etiam saepius repetendas ipsae tantopere invitabant? Sed mortuis auctoribus quum fabulae unice licentiae et voluntati histrionum relictae essent, qui non tam religiosi erant, quin nonnulla fabulis de suo infercirent, vel pro suo commodo et lubitu totos locos prorsus mutarent: quantopere ab hac parte fabulae alienas manus expertae sint, sponte apparet. Atqui etiam sequiori aetate Caesarum has veterum poetarum fabulas actas esse memoriae est traditum. Sic Cicero adhuc vidit in scaena agi Naevii Equum Troianum, de quo supra; Pacuvii

Orestem, (de Fin. 5, 22, 63. de amicit. 7, 24.); Antiopam, Acad. 2, 7, 20. de off. 1, 31, 11.; Attii Melanippam, Aiacem, Clytaemnestram, Epigonos, (de off. l. c.), Atreum (ibid. 1, 28.); Ennii, nisi Attii, Andromacham, (Acad. 2, 7, 20.); ut alias fabulas taceam. Etiam Pacuvii ex Armorum iudicio quaedam inter ludos funebres Julii Caesaris cantata esse, Suetonius Julii vit. 94. annotavit. De Augusto Suetonius c. 89. narrat: *Sed plane poematum quoque non imperitus delectabatur etiam comoedia veteri et saepe eam exhibuit publicis spectaculis.* Nec dubito ad fabularum actiones referenda esse verba Auctoris orat. de harusp. respons. 18, 39. *Non sunt illi eiulatus et gemitus Philoctetae tam miseri (quamquam sunt acerbi) quam illa exsultatio Athamantis et quam somnia matricidarum.* Plautinas autem fabulas nonnulli earum prologi, quos posteriori aetate fabulae additos esse infra ostendetur, satis comprobant etiam sequiori aetate saepius actas esse: atque in Pseudolo Roscium comoedum Ballionis partes egisse Cicerone spectante certo constat ex Cic. or. pr. Rosc. Com. 7, 20. 17, 50. Quam fabulam saepius actam esse ipse prologus his verbis docet totius prologi unice antiquis:

Exporgi meliu'st lumbos atque exsurgier:
Plautina longa fabula in scaenam venit.

Haec Plautus scribere non potuit, sed qui repetita fabulae actione novum finxit prologum. Rem uno manifesto ex Casin. prol. 6. seq. loco corroboramus:

Antiqua opera et verba quum vobis placent,
Aequum est placere ante veteres fabulas.
Nam nunc novae quae prodeunt comoediae,

Multo sunt nequiores quam nummi novi.
Nos postquam populi rumore intelleximus,
Studiose expetere vos Plautinas fabulas,
Antiquam eius edimus comoediam,
Quam vos probastis, qui estis in senioribus:
Nam iuniorum qui sunt, non norunt, scio.
Verum ut cognoscant, dabimus operam sedulo.
Haec quum prima acta est, vicit omnes fabulas.

Cur a vulgata in adscribendo hoc loco paullum decesserimus, ratio est reddenda. V. 7. scriba quum hiatum in caesura tolerare non posset, mutavit *Aequum placere est ante:* quod dedimus, legitur in Palat, omnibus, Nagl. codd., Cratandr. Post quod ex tribus Palat. et Cratandr. mutatum est *rumore*. vulgata *rumorem* multo praestat. Denique *prima* pro *primum* a nobis contra vulgarem regulam restitutum praebent Palatini omnes, Nagl. et Cratandr., firmat unus Pirckhaim, *primatim* exhibens.

Facile hinc intelligitur quomodo factum sit, ut non solum Plautinarum fabularum plura eaque diversa interpolatione histrionum intercedente exorirentur exemplaria, sed etiam fabulae, quae licet minime ab hoc auctore profectae sint, eius nomine vulgo circumferrentur, modo eae ad eius fabularum genus et ingenium accederent. Macrobius Sat. 2, 1. p. 261. Pont. *Et iam primum animadverto duos quos eloquentissimos antiqua aetas tulit, comicum Plautum et oratorem Tullium, eos ambos etiam ad iocorum venustatem ceteris praestitisse. Plautus quidem ea re clarus fuit, ut post mortem eius comoediae, quae incertae ferebantur, Plautinae tamen esse de iocorum copia agnoscerentur* [sic leg. pro vulg. *noscerentur*]. Eiusmodi Plautinae videntur intelligendae esse, quarum mentio in Casinae

prologo fit. Verba autem Plinii huc non retulerim Ep. 6, 21, 4. de Virginio Romano, quem paullo ante in eadem epistola comoediam ad exemplar veteris comoediae scriptam sibi praelegisse narrat, haec dicentis: *Scripsit comoedias, Menandrum aliosque aetatis eiusdem aemulatus: licet has inter Plautinas Terentianasque numeres* [3]. Plauti igitur fabulae, quae propter iocorum copiam ac singularem comicam virtutem Romanis maximopere placebant, auctore iam mortuo saepius quum actae sint partim singulis locis actorum interpolatione mutatae, correctae, vel amplificatae sunt, unde diversa eiusdem fabulae exemplaria nata sunt, quoniam histrionum grex sua sibi fabularum exemplaria fingebat, secundum quae ederentur fabulae; partim numerus earum comoediis aliorum auctorum Plauti nomini suppositis auctus est. Illud conspicuum est cum in diversis eorundem locorum citationibus grammaticorum, tum maxime iis in locis, qui in ea fabula, ex qua citantur a grammaticis, hodie non reperiuntur, nec tamen qua fabulae sede fere locum habuerint, indicari potest. Huius rei exempla sequenti capite proferentur. Quod de aliorum fabulis Plauti nomine antiqua iam fraude vul-

3) Vide ne nomen viri, qui in Plinio *Romani* cognomine gaudet, *Rufus* sit. Dubitari enim non potest, Plinium de eo Verginio, nobilissimo equite (Juvenal. 8. 221.), cui cognomen Rufo fuerit, loqui, quem mortuum laude summa ac veneratione prosequitur Epp. 2, 1. 6, 10. 9, 19. Atque eundem Verginium Rufum comici et levis generis poematis excelluisse idem Plinius 5, 3, 5. auctor est, et praetextatas et togatas scripsisse Antonium Rufum rhetorem, qui idem cum nostro Verginio est, testatur Schol. Cruquii ad Hor. Ep. ad Pis. 288. Cf. Wernsd. Poet. Lat. Min. T. 4. p. 585. Spalding. ad Quintil. 1, 5, 43.

gatis dixi, id ipso numero fabularum, quae a Plauto factae esse traduntur, comprobatur, quum is ad centum et triginta teste Gellio 3, 3. productus sit, quibus scribendis Plauti otium vix suffecerit. Sed ipsi veteres de numero fabularum, quae Plauti essent genuinae, inter se valde discrepabant, unde patet, illo tempore permultas fabulas Plauti nomini vulgo adscriptas fuisse, quas Plauti esse non posse litterati viri intelligerent. Numerus triginta et centum Plautinarum fabularum vulgari maxime hominum opinione obtinuisse videtur. L. Aelius Stilo Praeconinus, vir eruditissimus, quinque et viginti Plauti esse solas existimavit: Varro posthac numerum ad unam et viginti fabulas restrinxit. Gell. l. c. Servius ad Virg. Aen. init.: *Nam Plautum alii dicunt scripsisse fabulas XXI, alii XL, alii C.* Etiam constat de poetis, quorum fabulae Plautinis intermixtae esse dicantur. Gellius l. c. *Sicuti istam, quam nuperrime legebamus, cui est nomen Boeotia. Nam quum in illis una et viginti non sit et esse Aquilii dicatur: nihil tamen Varro dubitavit, quin Plauti foret* etc. De eadem fabula Varro de L. L. 5, 9. p. 75. Bip. *Accensum solitum ciere, Boeotia ostendit: quam comoediam alii* [in hac voce auctoris nomen latet] *esse dicunt.* Gellius l. c. mox: *Marcus autem Varro in libro de comoediis Plautinis primo Ateii verba haec ponit: „Nam nec Gemini, nec Lenones* [sic pro *leones*], 4) *nec*

---

4) Plautinae fabulae titulus, qui *Lenones gemini* vulgo in editt. fertur ex Prisciani citatione 6. p. 697. videtur fuisse *Lenones sive Gemini*, unde etiam Gellium corrigendum arbitror. Fragmentum, quod ex *Lenonibus geminis* Priscianus allegat, a

Condalium, nec Anus Plauti, nec Bis compressa, nec Boeotia unquam fuit, neque adeo Agroecus, [5]) nec Commorientes: sed M. Aquilii.“ *In eodem libro Varronis id quoque scriptum est, Plautium fuisse quempiam poetam comoediarum,*

Grammatico ined. in Sinneri Catal. Bibl. Codd. Bernens. p. 436. ex fabula *Gemini* inscripta citatur.

5) Sic scribendum ut in cod. Regio Salmasius inveniri annotavit Ita *Clerumenoe* Noster in Cas. prol. 31., etiam *Adelphoe* Terentius, ut in cod. Reg. legitur: apud Donatum et in cod. Ambros. bibl. ubique *Adelphoi* et in codd. plurimis *Adelphe* mendose fertur. Sed ipsum ex Agroeco, cuius fabulae titulum primus aperuit Hadr. Junius Animadv. 6, 10., fragmentum age adscribamus, quo emendetur. Citatur apud Nonium p. 196, 30. ruente metro:

Quasi lupus ab armis valeo: clunes desertos gero.

Num fortes lupo armi, clunes debiles, ut lupum se esse pathicus de se praedicare possit? Rem habes expeditam, si reposueris *lepus*, qua lectione omnia bene procedunt. Armi enim vel pulpamenta sunt validissima in lepore membra, eaque hinc magnopere iis, qui palato student, quaesita: notum illud Horatii Serm. 2, 4. 44.:

Fecundae leporis sapiens sectabitur armos.

Sed quid *desertos* velit, nemo facile explicabit. Bothius *defectos* suspicatus est legendum, quod non magis commendatur. Fortasse poeta *disertos*, quod idem est ac *distractos* et analogia vocis *exsertus* comprobatur. Sed nulla opus correctione, quum Festus v. *Clunes* idem fragmentum citans *infractos* legat, quod rei aptissimum est, etiam *lumbis defractis* in Plaut. Stich. 1, 3, 37. confirmatum. Non tamen credi potest, variantem lectionem plane reiiciendam esse. Nonium si *disertos* legisse recte conieci, utraque lectio in diversis fabulae editionibus procul dubio locum obtinuit. Nondum tamen locus Plauti persanatus, nisi pro *quasi* reposueris *quamsi*: cf. Trin. 2, 4, 8. Prae *gero* etiam praestat *fero*, quod Festus citat.

cuius quoniam fabulae Plautii [sic] *inscriptae forent, acceptas esse quasi Plautinas, cum essent non a Plauto Plautinae, sed a Plautio Plautianae.* Quod Varro de Plautio comoediarum auctore narrat, meris grammaticorum commentis niti videtur, quum huius nominis poetae apud veteres ne ullum quidem vestigium reperiatur. Quis autem ille *M. Aquilius* fuerit, non magis constat: utroque loco lectio adeo incerta est, ut inter *Aquilium*, *Aelium*, *Accium*, *Hatruticum*, *Acuticum*, *Actium Titum* diiudicandum sit. Perplacuit mihi saepe, quod Poppma ad Varronis l. l. T. 2. p. 155. Bip. eruit *Atilii* nomen, quum hunc certe comicum fuisse constet. Sed hoc ut de mera coniectura natum, certum non est.

Nihil igitur mirum si Plauto mortuo fabulae eius tantopere immutatae sunt, ut posteriori tempore viri eruditi, quum Plauti fabulas ab actorum liberalitate amplificatas, vel aliorum poetarum manibus interpolatas, vel etiam integras Plauti nomini ex vulgata opinione falso adscriptas esse, tum traditione tum ipsa re monerentur, de integris quibusdam Plauti fabulis, aut de singulis earum locis, an genuini essent, dubitarent atque huic rei explorandae operam collocarent. Pertinent huc eiusmodi loci, veluti Ciceronis Ep. ad fam. 9, 16, 8. *Sed tamen ipse Caesar habet peracre iudicium: et ut Servius frater tuus, quem litteratissimum fuisse iudico, facile diceret: hic versus Plauti non est, hic est; quod tritas haberet aures notandis generibus poetarum ex consuetudine legendi.* Adde locum Plinii H. N. 18, 28. infra accuratius considerandum. Exortus hinc est grex grammaticorum Latinorum,

qui tum in explicandis singulis Plauti fabularum locis et dictione eius antiquata enucleanda summam operam impendebant, tum in eius comoedias, num omnes quae eius nomine vulgarentur, genuinae essent, crisin exercebant. Utrumque maxima virorum eruditorum concertatione factum. Inter eos qui ad illustrandas Plauti fabulas commentarios scripserunt, maxime excellunt Sisenna, Charis. 2. p. 178. 182. 196. bis; Arruntius Celsus, Charis. 2. p. 190., (idem qui etiam in Terentium commentatus est, Charis. 2. p. 185. 189. 190. 197. bis); Flavius Caper, ibidem p. 176. Acriorem crisin in ipsam Plauti fabularum authentiam factitasse videntur grammatici ii, quorum *indices* super Plauti fabulis meminit Gellius 3, 3. init.: Aelii, Sedigiti, Claudii, Aurelii, Accii, Manilii. Quis *Aelius* significetur a Gellio, ambigitur ab eius interpretibus: certe idem *Aelius Stilo* est, qui Varrone teste ap. Quintil. 10, 1, 99. *Musas Plautino sermone locuturas fuisse, si Latine loqui vellent* dixerat. De eo cf. Suet. de clar. gramm. 3. Davis. ad Cic. Acad. 1, 2. Clav. Cic. *Sedigitum* bene viderunt esse *Volcatium* illum, de quo dictum cap. I. Libro de poetis in Plauti fabulas eandem videtur legisse crisin, quam in Terentii exercuit: Sueton. vit. Ter. 2. 4. 5. Cf. Plin. H. N. 11, 99. Rufinus ad Domnionem. — *Claudius* idem esse videtur, qui a Suet. de clar. gramm. 2. *Servii Clodii* nomine inter grammaticos numeratur, etiam Varroni de L. L. 6. p. 93. Bip. citatus. De Ateio satis dictum: de Aurelio Opimio constat ex Suetonio.

Post hos grammaticos tandem M. Terentius Varro inter Romanos exstitit, qui eum omnes litterarum

disciplinas amplexus tum magnam etiam Plauti fabulis illustrandis operam adhibuit. Scripsit is *Quaestiones Plautinas*, quarum librum secundum citant Diomedes 3. p. 483. et Nonius p. 9, 17. Librum primum Varronis de *comoediis Plautinis* Gellius l. c. attulit: a quo Varronis librum primum *Quaestionum Plautinarum* minus accurata citatione suspicor significatum esse, ut etiam factum in Charis. 1. p. 81., ubi *Varro in Plautorino* allegatur, quod ex *Plautino*, scilicet libro, corruptum est. Hoc libro Varro id egisse potissimum videtur, ut Plautinarum fabularum quae ab ipso poeta profectae essent, demonstraret. Ex triginta et centum circiter fabulis quas Plauti nomine in antiquitate ostendi circumlatas esse, Varro teste Gellio unam et viginti agnovit Plautinas, dictas hinc *Varronianas*, quae omnes praeter unam ultimam *Vidulariam* nostris Plauti codicibus continentur. Etiam Vidulariam iis olim adiunctam, singulari posthac casu abscissam esse, docet eius fabulae inscriptio, quam ad codicum nonnullorum calcem adhuc inveniri, annotavit Pareus, qui ad Vidular. fr. p. 15. (ed. 1619.) in codd. Palat. se ait pone Truculentum reperisse: *Vidularia incipit*. Cf. Fabric. Bibl. Lat. T. 1. p. 13. ed. nov. Atque eam fabulam ad calcem cod. Ambros. totam adiectam fuisse, Maius editis hinc aliquot ex Vidularia fragmentis in libello *de Plauti fragm.* p. 31. seq. commonstratum dedit. Quamquam autem quaestione Varroniana in Plauti comoedias factum est, ut de genuinis poetae fabulis nunc aliquatenus constet, tamen dolendum est hinc accidisse, ut *Varronianae* nostram aetatem solae tulerint. Nam Varronis apud omnes tanta fuit auctoritas, ut sequiori aetate eae

tantum fabulae, quas ille indubias agnoverat, codicibus describerentur, reliquae autem, quae ut ex eorum fragmentis colligere licet, Plautina prosapia non plane indignae fuisse videntur, prorsus intercide-rent. Quae incertae ferebantur, utrum aliorum auctorum an interpolatae nostri poetae fuerint, hodie decerni nullo modo potest. Inter eas autem, quas Varro obelo notavit, vix equidem dubito nonnullas fuisse, quae ab ipso poeta profectae fuerint. Ipsum Varronis quoque iudicium de Plautinis in duas partes saepe cessisse videtur, quum is a Gell. 3, 3. tradatur *Saturionem* et *Addictum* fabulas, quas poeta in pistrino scripsisset, pro genuinis habuisse, quamquam eae a genuinarum fabularum indice Varronis seclusae sint. Etiam *Boeotiam*, quae Aquilii nomine ferebatur, Varro et Gellius censuerunt Plauto addicendam, quamquam uterque hac in re falsi sunt, siquidem ex fragmento ibi allato fabulam Plauti esse coniecerunt, quum illud fragmentum multo post Plautum esse confectum sequenti capite ostendatur. Quod autem Gellius approbante Boeckhio de Trag. Gr. p. 34. mox dicit: *Non tamen dubium est, quin istae et quae scriptae a Plauto non videntur et nomini eius addicuntur, veterum poetarum fuerint et ab eo retractatae expolitaeque sint, ac propterea resipiant stilum Plautinum* subscribendum vix mihi persuadeo, quum qui *veteres* illi *poetae* sint, quorum fabulas Plautus interpolaverit, ne coniectura quidem fingi possit: nam ante Plautum comoedias praeter Livium et Naevium nemo traditur scripsisse. Nec Plauto ad scribendas comoedias hoc alieno adminiculo opus fuisse, pro fecunditate eius ingenii propria probabile videtur.

Ad confirmandam illorum opinionem afferri possit Naevii Colax et Aulularia, quas Plautum, quoniam iisdem titulis fabulas scripserit, interpolatas et expolitas aliquis coniiciat suo nomine edidisse. Sed id eo statim refellitur, quod Terentius Colacem utramque Naevii et Plauti fabulam, quas probe novit, in Eun. prol. 25. et 33. ita discernit, ut nonnisi de diversis cogitari possit. Ipse autem Terentii locus ut vulgo legitur afferendus est, ut a Bentleii coniectis purgetur:

Colacem esse Naevi et Plauti veterem fabulam.

Omnia sunt aperta modo iungas: veterem fabulam esse Colacem, quam et Naevius et Plautus scripserint. Duorum autem auctorum fabulas necessario a Terentio memoratas esse debere, docet v. 33. seq. Atque ut vulgatur locus, invenitur in omnibus codd., etiam tribus Beroll. Quod Bentleium maxime offendit, Naevio Colacem, quae Novii sit, tribui, parum momenti habet, quum Prisciani loco 10. p. 874., quem is excihabet, lectio inter *Naevium* et *Novium* fluctuet. Contra quum ex Terentii loco Naevium scripsisse Colacem manifeste liqueat, Novio equidem Colacem prorsus affirmaverim abiudicandam esse, quum praesertim Atellanam peregrino titulo inscriptam esse credibile non sit. Cui coniecturae egregie codex Guelpherb. succurrit duobus Nonii locis, ubi Colax Novii nomine citatur, p. 64, 9. et 462, 32.: utrique loco ex Guelpherb. lectione *Nevius* facile *Naevius* restituas, quod hinc patet etiam p. 376, 12. reponendum esse. His autem tribus Nonii et uno illo Prisciani locis Colax Naevii aut Novii memoratur. — De Naevianae *Aululariae* inscriptione potest adhuc dubitari, quum

unico loco apud Non. p. 151, 1. in plurimis libris *Erularia* legatur, quod etiam Guelph. tuetur.

Plures autem Plauti contextuum recensiones quum necessario ipsa fabularum repetita actione exortae esent, atque hinc diversa exemplaria prodissent, ex quibus fabulae aut legerentur ab eruditis, aut agerentur: dubitari non potest exemplaria haec diversa, aetate ipsa Varronis atque multo post hunc hominum manibus trita esse; quo factum ut grammatici sequioris aetatis Latini, qui a Varronis auctoritate in arte grammatica omnino paullum discedebant, diversam a Varroniana Plauti recensionem, fortasse Aelii Stilonis vel aliorum, saepe sequerentur. Eiusmodi diversa a Varroniano exemplaria omnes grammatici a Verrio Flacco, Velio Longo, et qui proxime eos secuti sunt, profecti usurpasse videntur, quum ii ex Plauti fabulis superstitibus saepius locos citent, qui in iis hodie aut plane non reperiantur, aut tantopere a vulgato contextu discrepent, ut de alia Plauti recensione non possis non coniecturam facere. Eam autem textus recensionem, quae nostram aetatem tulit, ipsam Varronis esse inde comprobatur, quod Varro libris, quantum eorum superest, grammaticis nullum e Plauti fabula locum laudet, qui in superstite non reperiatur, atque eius citationes cum genuina vulgati contextus scriptura, ni fallor, omnes conveniant. Illas autem fabulas, quas Varro spurias pronuntiaverat, cum genuinis una in Plauti exemplaribus contentas atque ipsius Plauti nomine etiam post Varronem inscriptas fuisse testantur crebrae ex iis fabulis citationes grammaticorum, qui etsi unam alteramve spuriam esse persuasi erant, tamen quum de earum auctore

non liqueret, Plauti nomine eas quam nullo laudare malebant. Hinc etiam explicatur quomodo fieri potuerit, ut Varro eas fabulas, quas ipse proscripserat, Plauti nomine passim citet, quoniam vulgari opinioni satisfacere eum oportebat: nam eum libros *de lingua Latina* ante edidisse, quam in Plauti fabulas inquisivisset, ac sententiam suam in libris *quaestionum Plautinarum* aperuisset, vix potest probari.

CAPUT NONUM.

Plauti fabularum interpolatio indagatur.

Superiori capite quae de ratione, qua Plauti comoediae antiquis temporibus propagatae sint, disputavimus, eo consilio sunt dicta, ut fons plurimarum interpolationum, quarum nonnullas iam indicaturi sumus, liquide appareret. Totam Plauti comoediarum interpolationem demonstratum est a duabus maxime rebus originem duxisse, tum a repetita fabularum actione tum a diversis, quae ex illa ortae sunt, fabularum recensionibus. Ea quae repetita fabularum actione Plauti comoediis illata sunt ab alienis manibus, age iam hoc capite accuratius indagemus.

Ipsa in fabularum fronte interpolatio conspicitur, qua genuini fabularum tituli nonnunquam exstirpati sunt. Antiquiores enim Latinae poesis auctores quum in transferendis extraneorum poetarum operibus non verba, sed vim exprimere Latine studerent, id magnopere spectabant, ut scripta, quae a Grae-

a Graecis Latina reddebant, etiam Latino titulo inscriberentur. Latinae poesi et linguae indoli ne quid peregrinum extrinsecus inculcaretur, tantopere curiosi erant, ut etiam a transferendis nominum propriorum formis Graecis abstinerent: quae ratio aureo Latinarum litterarum seculo, cuius auctores Graecorum scriptorum vim cum verbis et Graecis nominum formis pro seculi ingenio reddere elaboraverunt non sine ipsarum litterarum detrimento et labe, plane immutata est. Ut ceteros illius aevi auctores taceam, Terentius, quum eius vita posteriorem iam aetatem attingat, qua litterae Latinae Graecis prorsus assimilari coeptae sunt, comoediis suis, quae Graecae sunt totae, Graecos non dubitavit titulos praefigere: nisi hanc quoque rem incertam relinquere mavis, quum v. c. *Heautontimorumenos*, quamquam hoc titulo ipsius prol. 5. laudetur, nomine *Seipsumcruciantis* passim citetur. Multo aliter antiquiores comoediae auctores, atque inter eos praecipue Plautus, qui hac maxime parte a Terentio discedit, quod nonnisi Latinis titulis suas comoedias exornaverit. A nominibus propriis excusationem petunt fabularum inscriptiones hae: *Amphitruo*, *Epidicus*, *Bacchides*, *Menaechmi*, *Persa*, *Stichus*. De consulto autem Plautum reddere Latine Graecos titulos studere, multis prologorum locis manifestum fit, ubi quam Graecam fabulae inscriptionem Latine verterit, ipse vel quisquis cuiusvis prologi auctor fuit, saepius indicavit. Veluti Asin. prol. 9.

Nunc quod me dixi velle vobis dicere,
Dicam: huic nomen Graece onago est fabulae,
Demophilus scripsit, Marcus vortit barbare:
Asinariam vult esse, si per vos licet.

V. 16. in libris aliter vulgatur claudicante metro:

Dicam; huic nomen Graece est onagos fabulae.

Ut dedimus, citat versum Bentleius ad Ter. Phorm. prol. 26. ac codd. auctoritas firmat: codd. Nagl. Monac. et ed. Crat. *onagros est;* Palat. sec. et tert., Vatic. *onagro est;* Palat. prim. et quart., Barthianus, Helmst., *onago;* Guelph. *onogo.* Cf. Gronov. ad Liv. 1, 1, 4. — Casin. prol. 30.

Comoediai nomen dare vobis volo
Clerumenoe vocatur haec comoedia
Graece, Latine Sortientes. Diphilus
Hanc Graece scripsit, post id rursum denuo
Latine Plautus cum latranti nomine.

Mercat. prol. 1, 1, 9.

Graece haec vocatur Emporos Philemonis:
Eadem Latine Mercator Marci Attii.

Trin. prol. 18.

Huic nomen Graece est Thesauro fabulae:
Philemo scripsit, Plautus vertit barbare:
Nomen Trinummo fecit.

Ex *Alazone* Graeca fabula hinc Plautus *Militem Gloriosum* fecit secundum prol. 2, 1, 9., ubi quum Graecam vocem Ἀλαζών tantum vertere Latine vellet, *militem* omisit. Ea enim est genuina fabulae inscriptio omnium codd. auctoritate et argumento acrosticho firmata, non *Miles sive Gloriosus*, quam Danzius praef. ad Mil. p. VI. seq. suadebat, permotus Lessingii in Dramat. Hamburg. T. 1. p. 164. argumentatione. Non vidit Danzius, duo ubi unius fabulae tituli reperiantur, alterutrum a diversa re vel persona sumptum esse debere, ut v. c. in Diphili Εὐνοῦχος ἢ Στρατιώτης,

quam ipse affert: *Gloriosus* autem ipsa *Militis* persona est. Neque obest, quod Danzium fugit, hanc fabulam simplici *Militis* nomine citari a Mario Victorin. p. 1948.; etiam *Pyrgopolinicis* titulo grammaticis laudatur. *Militis* autem *gloriosi* persona in comoediis veteribus usitata fuisse videtur: cf. Capt. prol. 57. Ter. Eun. prol. 30. seq. de Off. 1, 38. fin. Boettiger. nov. ed. Ter. spec. p. 38. seq. — Ita e Diphili Συναποθνήσκουσι Plautus *Commorientes* fecit, ut reliquos fabularum suarum titulos silentio nunc praetermittam.

Hunc Plauti morem mutaverunt qui eius fabulas posthac agendas curarent. Sequenti enim tempore quum nulla fere nisi Graeca integra Romae fabula placeret, Latini fabulae nominis locum inscriptio Graeci exemplaris facile occupavit. Luculentum huius interpolationis exemplum in Poenulo reperitur, quam fabulam Καρχηδόνιον Graece inscriptam a Plauto Latino *Patrui Pultiphagonidis* nomine ornatam esse testatur prologus v. 54. Attamen *Poenuli* titulus hodie fabulae praefigitur, quem ab aliena manu additum esse hinc apparet. Fabulam autem hanc etiam genuino *Pultiphagonidis* nomine vulgatam fuisse, concludo ex Plautinae *Phagon* inscriptae titulo, quem ex *Pultiphagonide* corruptum arbitror, etsi ea fabulae inscriptio per se non offendat: vid. Salmas. ad Vopisci Aurel. 50. T. 2., p. 591. *Phagonis* uno loco apud Varr. de L. L. 6, p. 93, Bip. mentio iniicitur hoc modo: *In Phagone*: *Honos syncerasto perit, pernis, glandio.* Ut *Pultiphagonide* pro *Phagone* legendum coniicerem, commovit me persona servi *Syncerasti* in Poenulo obvia:

quo enim modo poeta in Curculione *Curculionem* parasitum et *curculionem* vermem in ambiguum iocum usurpavit, eodem iocum aliquo Poenuli loco in ambiguitate vocum *Synceras̆ti* servi et *syncerasti* edulii, ut Varro l. l. exponit, quaesitum esse sed in nostris exemplaribus excidisse veri simile videtur. — Eadem ratione explicatur qui factum sit, ut Mostellaria passim *Phasmatis* nomine laudaretur, veluti Festo v. *Nec* et *Superescit.* Cf. Guilielm. Plaut. Quaest. in Most. 1. p. 165. seq. Nimirum fabulam *Mostellariam* a Plauto inscriptam novo Graeco *Phasmatis* titulo agendam posthac curabant, ut seculi ingenio blandirentur. Eiusdem posterioris aetatis erant fabulae Catulli, quam allegat Iuvenalis 8, 186., et Luscii Lavinii *Phasmatum* nominibus insignitae: cf. Ter. Eun. prol. 9. Etiam *Parasitus piger* et *Lipargus* huc pertinent, quas eandem esse fabulam egregie suspicatus est Scaliger ad Varr. de L. L. 6, 3. T. 2. p. 213. Bip. Plura huius rei exempla collegit idem ad Plaut. fr. *Astrabae.* Patet igitur titulos fabularum *Agroeci*, *Artamonis*, *Colacis* (quae inscriptio iam ante Terentium, qui fabulam hoc titulo laudat Eun. prol. 25., genuinam expulit), *Dyscoli*, *Gastronis*, *Cacisti*, *Plocii* alienis posterioris aetatis manibus deberi. *Chrysali* fabulae nomen, quo *Bacchides* laudat Fulgentius Expos. serm. antiq. v. *Stega*, huc non modo non pertinet, sed et ipsum suspectum est, quum auctori huic, qui eodem libro saepius fabulam *Bacchidum* nomine citat, in afferendis locis perpauca fides habenda sit. Memoria eum nisi fefellit, scripsit is fortasse *Plautinus Chrysalus*, ut alibi dicitur *Plautinus miles*, alia. Ceterum Fulgentius Bacchidum loco, qui est

2, 3, 45., pro vulg. *adsedi* legisse videtur *consedi*, ut est in cod. Leidens. et editt. vett.: immo Basileensis a. 1535. *forte ego ut in stega consederam*.

Primaria interpolatio, cuius caussam diximus repetitam fabularum actionem, in prologis facta est, quorum quum haec in Romanorum comoedia omnino indoles fuerit, ut non modo exponendo rei argumento, sed etiam rationi ipsius fabulae, quae agenda esset, reddendae inservirent, factum est quoties comoedia denuo ageretur, ut prologus, si huius actionis tempori et conditioni aptus non videbatur, aut nonnullis locis immutatus, aut novus plane in scaenam prodiret. Quod si vivis adhuc comoediarum, quae agerentur, auctoribus factum vidimus, ut repetitae fabulae actioni novum prologum scriberent, quod servatis duobus utriusque fabulae actionis prologis in nonnullis Terentii comoediis comprobatur, et in fabulis Graecis quoque factum est, veluti in Rheso [1]: eundem morem mortuo fabulae auctore multo latius patuisse credibile est, quum fabulae posthac in prologo opus fuerit tutore et defensore, cuius partes vivus poeta in suo prologo, ut ne arrogantiae crimen in se transferret, ipse suscipere non poterat. Plautinas fabulas autem quum saepius diversisque temporibus agi solitas esse ex superiori capite constet, non potest non factum esse ut in earum

---

1) E scholiis Euripidis ineditis Harles. ad Fabr. Bibl. Gr. T. 2. p. XVIII. evulgavit Rhesi argumenti particulam his verbis contentam: Πρόλογοι δὲ διττοὶ φέρονται· ὁ γοῦν δικαίαρχος ἐκτιθεὶς τὴν ὑπόθεσιν τοῦ Ῥήσου γράφει κατὰ λέξιν οὕτως·

Νῦν εὐσέληνον φέγγος ἡ διφρήλατος —

prologis loci nonnulli aut plane intercidercnt, quod in nonnullis superstitibus fabulis animadvertere licet, partim retractarentur, mutarentur, aut etiam integri Plauti prologi novis aliorum auctorum cederent. Verum tota haec de Plautinis prologis crisis quum in singulis eorum locis certior sit, ibi magis fluctuat, ubi de prologis, num integri sint Plauti, an suppositititii, sermo est, quum neque Plauti ipsius in prologis concinnandis ratio constet, neque utrum genus, veteris novaene comoediae Graecae, imitandum Plautus sibi delegerit. A veteris comoediae prologorum indole quum Plautini prorsus abhorreant, eo unico loco fortasse convenientes, quod non semper ab initio comoediae collocarentur, ut in Aristophaneis demonstravit Eichstaedtius de *dram. comic. sat.* p. 113. seq. et in Aeschyli et Sophoclis tragoediis nonnunquam factum esse videtur [2]): Plautum veri

καὶ ἐν ἐνίοις δὲ τῶν ἀντιγράφων ἕτερός τις φέρεται πρόλογος, πεζὸς πάνυ καὶ οὐ πρέπων Εὐριπίδῃ καὶ τάχα ἄν τινες τῶν ὑποκριτῶν διεσκευακότες εἶεν αὐτόν. Neuter vero horum prologorum in nostris Rhesi exemplaribus reperitur.

2) Sophocles argumenti expositionem etsi artificioso maxime modo prioribus scaenis immiscere studet, tamen adeo hac regula restringi se non passus est, quin eo loco, quo commode fieri posse videbatur, ea quae cum auditoribus ad intelligendam totam fabulam necessario communicanda essent, insereret. Id factum in Oedipode Tyranno, ubi argumenti expositio incipit a v. 767 Erf. Cf. Aristot. Rhet. 3, 14. Καὶ οἱ τραγικοὶ δηλοῦσι περὶ τὸ δρᾶμα, κἂν μὴ εὐθύς, ὥσπερ Εὐριπίδης· ἀλλ' ἐν τῷ προλόγῳ γέ που δηλοῖ, ὥσπερ καὶ Σοφοκλῆς·

Ἐμοὶ πατὴρ ἦν Πόλυβος —

καὶ ἡ κωμῳδία ὡσαύτως. Quem locum Sophoclis in Oed. T. 767. legi, quum memoriam fugeret Maioragii, Twiningii et Eichstaedtii l. l. p. 95., triumviri ut Sophoclis verba in Ari-

simile est suis prologis Graecum novae comoediae prologorum exemplar adhibuisse, quod tamen, quum hodie plane ignoretur, pro certo affirmari non potest.

A repetita fabularum actione crisis Plautinorum prologorum si repetitur, ex iis, quae supra dicta sunt, facile intelligitur, integrum prologum, qualis e poetae manibus prodierit, quum exemplaria fabularum, quae supersunt, ex recensionibus posteriori tempore factis fluxerint, nostram aetatem nullo modo potuisse attingere. Plauti prologos nonnisi magnopere interpolatos et refictos, nisi si suppositi sint toti, manifestum est conservatos nobis esse. De supposititiis, donec certa regula et norma invenia-

---

stotelico loco insititia consererent, induci potuerunt. Ex Sophoclis autem exemplaribus corrigendum Ἐμοὶ πατὴρ μὲν Πόλυβος ἦν. Ceterum ut hoc adiiciam, Sophocleorum prologorum genus quum ab Euripideo tantopere diversum fuerit, facile concedes ex Polyxena fragmentum, quod apud Stob. Ecl. Phys. T. 2. p. 1008. Heer. Sophocli ab Apollodoro adscribitur, Euripidis, a quo etiam Polyxenam constat scriptam esse, nomini vindicandum esse: in qua re dubium non potest esse collato ipso Stobaei loco, ubi Achillis umbrae persona pronuntians haec memoratur:

Ἀκτὰς ἀπαιῶνας τε καὶ μελαμβαθεῖς
λιποῦσα λίμνης ἦλθον ἠχούσης γόους
Ἀχέροντος ὀξυπλῆγος ἄρσενας χοάς.

Fragmentum sic restitutum est opera Jacobsii Spec. emend. p. 16. Animadv. in Eur. p. 161., Heerenii, Heynii ad Apollodor. fragm. p. 392. ed. nov. Euripidi autem solemnis est in prologis formula a comicis saepe perfricata ἥκω λιπών: vide Valck. ad Phoen. p. 216. Atque Sophoclis et Euripidis nomina a librariis passim confusa esse animadverterunt Brunck. ad Soph. Philoct. 1194. E. ad Soph. fr. inc. 72. 79. Porson. ad Phoen. 28. Schaefer. ad Soph. T. 2. p. 342.

tur, secundum quam ponderandi sint Plauti prologi, omne iudicium infirmum est, ita ut sententiam de iis supprimere, satius nunc visum sit: de uno tamen dicamus, quem suppositum esse confido me commonstraturum. Latior campus patet indagandis singulorum locorum interpolationibus, quas in singulo quoque prologo deinceps monstraturi sumus, quum ne ullus quidem interpolatione vacet.

Casinae prologum nulli, quod sciam, veterum scriptorum memoratum, Plauti esse non posse iam Alciatus, posthac Acidalius perviderunt, quorum sententiae omnes qui secuti sunt, interpretes Plauti subscripserunt, etiam Bothius ad Amph. 341. Capt. prol. 15. et ad Casin. prol. init. Videntur hi viri, quum eius sententiae nulla argumenta afferant, eiusmodi locis maxime nisi esse, quibus prologum Plauti non esse manifeste arguatur, veluti v. 9—20. 33. 34. 65. His paucula addam argumenta, quae illorum virorum sententiam confirment. Pertinet huc maxime pessimum numerorum genus, quod istius Pseudo-Plauti ignorantiae magis quam librariorum socordiae deberi videtur: quamquam nonnulli versus ope codicum et editt. vett. restitui possunt, veluti v. 47. seq., sic vulgatur:

Postquam adolevit ad eam aetatem, uti viris
Placere posset; at eam puellam hic senex
Amat efflictim et item contra filius.

Ex editt. Ald. Junt. et Cratandr. reponendum:

Postquam haec adolevit ad eam aetatem, uti viris
Placere posset, amare eam puellam hic senex
Efflictim occipit et itidem contra filius.

Eodem fere modo locum Reizius tentavit, ille post-

quam adolevit, mox *placere posset, amare puellam eam,* denique *efflictim coepit* suspicans. Quamquam etiam *amat* ultima productum defendi possit collatis Faern. et Bentl. ad Ter. Hec. 3, 5, 13. Phorm. prol. 9. Both. ad Eun. 215. Ita Ennius p. 94. ed. Hessel. *nictit*, p. 112. *manat*, posteriori producta. Sed offendit in prologo hiatus frequenter admissi usus, ut v. 2. 59. 72. Nec possit in Plauto ferri huius numeri versus, ut v. 3.

Si verum dixi, signum clarum date mihi,

nisi scriptum fuit:

Si verum dixi, signum date clarum mihi.

At haec sunt e levioribus argumentis. Prologi clausula:

Tantum est. Valete, bene rem gerite et vincite
Virtute vera, quod fecistis antidhac

petita est ex Cist. 1, 3, 50.

Haec res sic gesta est. Bene valete et vincite
Virtute vera, quod fecistis antidhac.

Plauti tamen sunt fortasse v. 9. et 10.

Nam nunc novae quae prodeunt comoediae,
Multo sunt nequiores, quam nummi novi,

siquidem nummi hi novi viliores ad id pecuniae genus spectant, quod bello Poenico ex pondere librario in plures asses, qui tantundem valebant, urgentibus rei publicae impensis percussum est: cf. Plin. 33, 13. Fest. v. *Grave aes* et v. *Sextantarii.* Sed quo anno id factum sit, quum Plinius et Festus dissentiant, alter bellum Poenicum primum, secundum alter indicans, in medio hoc relinquo.

Prologus, quem totum ut non Plauti proscripturum me significavi, est Asinariae. Ipsum enim huius prologi genus tam vile est et exiguum, ut eum si cum ceteris, qui Plauti sunt, contuleris, ab eodem auctore profectum esse statim negaveris. Nam Plautus in prologis quamquam fabulae argumentum fuse ubique exponere non soleat, ut in Trinummi prologo factum, tamen verbis tantopere non parcit, quin tribus verbis fabulae argumentum quodam modo explicet. Prologus autem Asinariae argumenti nihil, inutilium verborum nimium continet, quibus praeter captationem benevolentiae nihil aliud indicatur, quam quod Asinaria Plauti ad Demophili Onagum fabulam facta agatur et spectatores ad eam aequo animo excipiendam innixe exorentur. Ratio huius prologi tam tenuis et levis est, ut in eum certe cadat, quod in omnes paullo iniquius effatus est Cramerus *de prologo*, Lipsiae 1776 p. 16.: *Sie sind nicht viel mehr als Anschlagezettel, die einem das Vergnügen der Neuheit verderben, ohne eine gröſsere Schadloshaltung dafür zu geben.* Jam vide singula, quae a Plauto dicta esse non posse intelligitur. V. 9. seq.

Nunc quod me dixi velle vobis dicere,
Dicam: huic nomen Graece Onago est fabulae;
Demophilus scripsit, Marcus vertit barbare.
Asinariam vult esse, si per vos licet:
Inest lepos ludusque in hac comoedia.

Huiusmodi maxime locis actorum interpolatio conspicua est, quibus nomen Latinae et Graecae comoediae indicatur; quod Plautus in prologis vel plane reticere, ut in Captivis factum, vel per transennam quasi cum auditoribus communicare solet,

ut in Rudente, ubi de fabulae nomine nihil, neque aliud quidquam de fabulae origine proditur, quam v. 32.

Primumdum huic esse nomen urbi Diphilus
Cyrenas voluit.

Poeta in Amph. prologo, ubi v. 51. seq. de comoedia, tragoedia et tragicocomoedia loquitur, fabulae nomen et auctoris quam apte tacuit! Nulla eiusdem rei mentio in genuino Aululariae prologo, neque in Menaechmorum, Captivorum, Cistellariae: sed de hac re infra. Ipsum etiam illud *Marcus vertit barbare*, ita dictum est, ut ab aliena persona Plautum auctorem indicante, non a Plauto ipso profectum videatur. Vide denique quam ieiuna et tenuia sint, quae v. 6. seq. leguntur:

Nunc quid processerim huc et quid mihi voluerim,
Dicam, ut sciretis nomen fabulae.
Nam quod ad argumentum attinet, sane breve est
Nunc quod me dixi velle vobis dicere,
Dicam: etc.

Quod argumentum ad infringendam ex Asinaria loci, quo nomen fabulae et auctoris ut a tertia persona indicatur, authentiam adhibuimus, etiam ad multos alios pertinet, in quibus eadem conspicitur interpolatio. In Casinae prol. 31. seq. nihil mirum est reperiri eiusmodi verba:

Clerumenoe vocatur haec comoedia
Graece, Latine Sortientes. Diphilus
Hanc Graece scripsit; post id rursum denuo
Latine Plautus cum latrante nomine.

Ex hoc maxime loco, quum totus Casinae prologus insititius sit, huiusmodi enunciata non Plauti, sed

interpolatoris esse comprobatur. — In Mercatoris prologo postquam Charinus prologi personam agens v. 8. dixit:

Vobis narrabo potius meas nunc miserias,

nemo non argumentum fabulae eum expositurum exspectabit; atque id fuse quoque duobus versibus interpositis explicatur. Jam vide quam versus hi interpositi:

Graece haec vocatur Emporus Philemonis:
Eadem Latine Mercator Marci Attii

cum antecedentibus et sequentibus parum cohaereant, ut hanc ob caussam utrumque versum ab aliena manu adiectum esse iam inclines suspicari. Sed aliud accedit argumentum, quo hos versus Plauti esse non posse evidenter evincatur. Plauto enim, haec verba si eius essent, necessario *Atti* scribendum fuisset, non *Attii*, quam Genitivi formam non ante Augusti aetatem in usum receptam esse, post Bentleium Wolfius nuper ad Horat. Sat. 1, 1, 3. p. 11. comprobatum dedit: cui rei, quum etiam latiorem requirat inquisitionem, quam quae huic loco inseri possit, confirmandae pauca tantum adiiciam, quae de tribus veterum locis regulae, ut videtur, adversantibus sentiam. In Plaut. Mil. 3, 2, 51. codicibus et editt. concinentibus vulgabatur:

Quaeso tamen tu meam partem infortunii

Bothius, qui distractam Genitivi formam nonnullis Plauti locis Reizio viam monstrante feliciter expulit, non sine veritatis specie transponi iussit:

Quaeso tamen tu partem infortuni meam

quod etiam Reizio debetur. Sed certum hoc non

est: corruptam autem esse vulgatam patet, quum praeter hunc locum nullus in Plauto reperiatur adversarius, qui non facile emendari possit. In Asin. 3, 1, 2. non opus cum Bothio corrigere:

An ita tu es animata, ut qui expers matris imperiis sies,

modo reponas *imperi sies.* Alter locus est in Lucret. 5, 1004.

Improba navigii ratio tum caeca iacebat,

ubi Bcthius ad Plaut. Asin. l. c. *navigiis* tentabat, quod velim explicuerit. Scripsit Lucretius fortasse *navigium,* qua forma in huius poetae librisnulla frequentior. Tertius denique locus, quem ipse Wolfius l. l. vitiosum pronuntiavit, Ennii a Serv. ad Aen. 6, 219. et Donat. ad Ter. Hec. 1, 2, 60. citatus:

Tarquinii corpus bona femina lavit et unxit,

restituta lectione *Tarquini* nihil offensionis habet, quum neglecta numerorum ratio licentissimo nominum propriorum usu excusetur, qui ut apud Graecos epicos, sic etiam apud Latinos obtinuit: cf. Serv. ad Virg. Aen. 1, 343. ibique Brunck. p. 425.: neque enim huc retulerim eam licentiam, quae in ultima tantum syllaba obtinet, ex qua trochaeus spondei vicem etiam extra arsin saepius gerat, veluti ap. Cic. de divin. 1, 47, 107.

Omnibus cura viris, uter esset endoperator

Idem apud Gell. 18, 9.

Insece Musa manu R o m a n o r u m endoperator.

Priscian. 10. p. 891.

Infit, o cives, quae me fortuna ferox sic.

Fest. v. *Quadrata*:

Ecquis exstiterit Romae regnare quadratae.

Lucilius sat. VIII. apud Nonium p. 4, 13.

Velle tolutim hic semper incepturu' videtur.

Versus Livii Andronici nomine a Prisc. 8. p. 813. citatus:

Cum socios nostros mandisset impiu' Cyclops

Lucretius 1, 11.

Et reserata viget genitalis aura Favoni.

Sic codd. omnes et maior editt. vett. pars: nonnullae *genitabilis*, quod Lambinus ex Varron. de L. L. 4, 3. p. 7. Bip., ubi ex *Lucretii unius et viginti librorum initio* citatur:

Aetheris et terrae genitabile quaerere tempus,

frustra tueri studet, quum *Lucilii* nomen ibi Popma perviderit reponendum esse.

Unum ex Qnintiliano locum, quem huc pertinere nondum intellectum est, placuit adiicere accuratius examinandum. Spaldingius 1, 5, 23. edi iussit: *aut gravis pro flexa, ut Cethegus, et hic prima acuta; nam sic media mutatur: aut flexa pro gravi, ut apice circumducta sequente, quam ex duabus syllabis in unam cogentes, et deinde flectentes, dupliciter peccant,* ipse professus vocabulum *apice*, in quo scripturae vitium latere idem egregie ostendit, qua ratione corrigendum sit, se nescire, quamvis diu de medela meditatum. Vocabulum, quod Quintilianus pro mutati accentus exemplo affert, quum a nomine proprio petendum necessario sit, vide an vera scriptura in codd. Lug-

dun. et Baliol. lectione *apici*, unde mendosa fluxit *apice*, lateat *Apici*. Quod in Quintiliani exemplo contineri postules, in nomine *Apioi* exhaustum habes; dupliciter enim hac in voce peccatur, primum quod in nomine *Apicii* contra seculi, quo vixit Quintilianus, usum ultimae duae syllabae in unam cogauntur: deinde quod haec contracta circumflectebatur, quum deberet gravem recipere. Spaldingius quum exempli vocem ultima brevem inveniendam esse diceret, loci rationem parum perspexisse videtur. Haec autem si vera sunt, quae de hoc loco disputavimus, Genitivi formam hanc contractam apparet Quintiliani tempore tantopere omnino obsolevisse, ut distractam formam una syllaba pronunciare iam pro vitio haberetur, id quod aliis quoque argumentis probari potest [3]).

Ut revertar, illam in Mercatoris prologo interpolationem non ante Augusti aetatem adhibitam esse manifestum est. Bothio enim *Marcum Atticum* reponenti idque *Attici* cognomen de Plauti studio *atticissandi* interpretanti, nemo, credo, auscultabit. Bentleii commentum ad Ter. Phorm. prol. 26. citantis:

Eadem Latine Mercator Maccici

fateor me non intelligere. Eadem interpolatio occupavit Poen. prol. 53. 54.

---

3) Quum haec typis exaranda mandaturus essem, vidi etiam Sarpium Analector. ad Quintil. spec. p. 49. seq. in eandem coniecturam incidisse: nolui tamen meam reticere sententiam, quum Sarpium inter hanc et aliam loco medendi rationem fluctuare ac rem, quae certissima est, dubitanter pronuntiare animadverterim.

Karchedonius vocatur haec comoedia,
Latine Plautus Patruus Pultiphagonides,

de quo loco supra quaedam allata sunt, et Trin. prol. 18. seq.

Huic nomen Graece est Thesauro fabulae:
Philemo scripsit, Plautus vertit barbare:
Nomen Trinummo fecit.

De Mil. 2, 1, 8.

Alazon Graece huic nomen est comoediae,
Id nos Latine Gloriosum dicimus

iudicium suspendo, quum quae huic loco coniuncta praecedant, cur Plauto abrogentur, nulla caussa sit.

Amphitruonis prologus, si qui genuinus, Plauti hic est, non tamen ab omni interpolatione liber. V. 64. seq. leguntur haec, rescribenda ita:

Nunc hoc me orare a vobis iussit Juppiter,
Ut conquaestores singuli in subsellia
Eant per totam caveam, spectatoribus,
Si cui favitores delegatos viderint,
Ut his in cavea pignus capiantur togae:
Sive etiam qui ambissent palmam histrionibus,
Seu cuiquam artifici, seu per scriptas litteras,
Seu qui ipsi ambissent, seu per internuntium,
Sive adeo aediles perfidiose cui duint,
Sirempse legem iussit esse Juppiter,
Quasi magistratum sibi alterive ambiverit.

Forma *conquaestor,* quam v. 65. posuimus, Varronis de L. L. 5, 8. auctoritate nititur, etiam mox v. 82. restituenda: quam Bothius eodem modo ut *quaestor* a *quaesitor* fictam quum non meminisset, locum licentissima pessumdedit transpositione. V. 69. omisso *etiam*, quod ignorant vett. editt. et cod. Nagl.,

Nagl., Bothius *ambiissent*: constantiae caussa propter *ambiverit*, quod sequitur, nos *ambivissent*. — Cum hoc loco iam confer v. 81. seq.

Hoc quoque etiam mihi in mandatis dedit,
Ut conquaestores fierent histrionibus,
Qui sibi mandassent, delegati ut plauderent,
Quive, quo placeret alter fecissent minus,
Iis ornamenta et corium uti conciderent.

Utroque hoc loco comparato, etsi in priori de spectatoribus, in posteriori de histrionibus agatur tamen, alterutrum tantummodo in prologo hoc a poeta positum fuisse apparet. Uter autem ab aliena manu posteriori tempore fortasse alterius loco adiectus sit, non est quod illo loco, quem prius posui, accuratius considerato magnopere ambigas. Eiusmodi enim res illic memorantur, quae pristinae fabularum actionis rationi vix congruae ad aequiora tempora, quibus actio fabularum materiam praebebat in qua eques et plebes insanirent corruptis Romanorum moribus, referendae videntur: pertinet huc palmas vel omnino praemia histrionibus dandi mos, quem si Plauti aetate iam obtinuisse nego, non errare me credo, quum histriones pro infimis et vilissimis hominibus tum habitos praeter conductam pecuniam etiam honoris signis ditatos esse, pro illius seculi ingenio vix sit credibile. Nec potest exemplum eiusmodi palmae histrionibus illo tempore datae proferri, quum quae collegit Planckius ad Enn. Med. p. 38., recentiora multo tempora attingant. Idem iudicium ferendum de Poenul. prol. 37. seq., quem locum aliquis obiicere possit:

Quodque ad ludorum curatores attinet,
Ne palma detur cuiquam artifici iniuria,

Neve ambitionis caussa extrudantur foras,
Quo deteriores anteponantur bonis.

De Poenuli prologo infra dicetur.

Menaechmorum prologus ab initio non integer Plauti esse videtur, quum nexus verborum cum sequentibus desideretur:

Salutem primum iam a principio propitiam
Mihi atque vobis, spectatores, nuntio.
Apporto vobis Plautum lingua, non manu:
Quaeso ut benignis accipiatis auribus.
Nunc argumentum accipite et animum advertite:
Quam potero in verba conferam paucissima.

Jam nemo non poetam in sequentibus argumentum fabulae exspectat expositurum: at magnopere fallimur. Pergit enim inconcinne:

Atque hoc poetae faciunt in comoediis:
Omnes res gestas esse Athenis autumant,
Quo vobis illud [sic ex Cratandr.] *Graecum videatur magis.*
Ego nunquam dicam, nisi ubi factum dicitur.
Atque adeo hoc argumentum graecissat, tamen
Non atticissat, verum sicilissitat.
Huic argumento antelogium quidem hoc fuit.
Nunc argumentum vobis demensum dabo,
Non modio, nec trimodio, verum ipso horreo:
Tantum ad narrandum argumentum adest benignitas,

Rem de *argumento* exponendo quam putide toto hoc loco ad nauseam usque poeta recoquat vides, atque quam parum uterque locus cohaereat. Haec me commoverunt, ut versus 1 — 6. genuino Plauti prologo fraude actoris vel interpolatoris subiectos suspicer: praeterea illud nescio quomodo me offendit:

Apporto vobis Plautum lingua, non manu,

si a poeta adhuc vivo dictum putem. Etiam patet ab eadem manu additum esse versum:

Huic argumento antelogium quidem hoc fuit,

nimirum ut excusaretur, quod argumenti expositioni praecedat longum prooemium: quamvis versum hunc pro genuino Plauti iam Ausonius huc, ut videtur, respiciens in Epist. 16. habuerit. Ut de totius prologo principio quid sentiam declarem, ante v. 7. et sequentes genuinum Plauti initium prologi excidisse suspicor, quod abrupta oratio in seq. *Atque hoc poetae* etc. satis prodit; poeta videtur mox his perrexisse:

Non Atticissat, verum Sicilissitat.
Nunc argumentum etc.

Pseudoli prologi finem iam monitum est ad recentiorem fabulae actionem pertinere. Qui praecedunt versus tres et viginti, si eorum sensum spectas, ineptissimi, quum praeterea in plurimis codicibus desiderentur, et cum antiquis duobus in sequentibus minime coniungi queant, pro fetu recentissimis temporibus supposito habendi sunt.

Anceps est de Poenuli prologo iudicium: de aliquot locis, qui ab aliena manu additi videantur, iam dixi. Totum prologum, qui in poetae rationem prologorum componendorum se insinuaverit, Plauto vix dignum eiusque usui parum congruum iudicabit, quod quum magis sentiri quam demonstrari possit, in medio relinquimus confessi in Lipsii sententia libenter nos acquiescere, qui de Amphitheatr. 15. dicit: „Certe Plautinus prologus, etsi non Plauti.“ Atque singuli loci suspicionem hanc magnopere augent, veluti v. 17. seq., ubi instituta

memorantur, quae Plauti aetate vix locum iam habuisse possunt. Huiusmodi est usus *dissignatorum*, qui iidem sunt ac *locarii*, qui singula subsellia pro capite aere dato spectatoribus locabant: nam quae huius moris exempla afferuntur, ad Caesarum tempora pertinent omnia. Cf. Lips. l. l. Salmas. Exerc. Plin. p. 165. B. Nec credibile Plauti aetate ad spectacula visenda a populo Romano, servis, matronis, scortis tam frequenter esse concursum, ut de sedium ordine et copia tantopere dimicandum fuerit, quantum in prologo hoc narretur. Attamen ea prologi posterior pars, qua argumentum fabulae exponitur, Plauti esse potest, quamquam expositio longius procedat, quam poetam solere genuini eius prologi doceant.

Truculenti prologus, ut de hoc denique dicam, a fine integer esse non videtur: oratio enim tam subito intercipitur, ut post v. 21. excidisse nonnulla probabile sit, quibus argumenti profligatio et allocutio spectatorum contineretur.

Pergo ad id interpolationis genus, quod in singulis ipsarum fabularum partibus, tum repetitis vel ex alia Plauti fabula desumptis versibus, tum insertis locis manifeste supposititiis animadvertitur. In detegenda prioris generis interpolatione Bothius insignem laudem meruit versus male repetitos hic illic uncis notans, etsi caussa huius frequentis versuum iterationis eum latuisse videatur. Placuit unum locum ab hac parte affectum, qui Bothii diligentiam effugit, pro exemplo addere. In Merc. 2, 1, 1. seq. leguntur haec:

Miris modis Di ludos faciunt hominibus,
Mirisque exemplis somnia in somnis danunt.
Velut ego nocte hac, quae praeteriit, proxima
In somnis egi satis et fui homo exercitus.

Rudent. 3, 1, 1. seq.

Miris modis Di ludos faciunt hominibus,
Mirisque exemplis somnia in somnis danunt.
Ne dormientes quidem sinunt quiescere:
Velut ego hac nocte, quae praecessit, proxima
Mirum atque inscitum somniavi somnium.

Geminus alter alteri non potest esse similior, quam uterque hic locus, quem a poeta semel tantum esse positum, apertum est. Uter autem locus actorum interpolationem perpessus sit, difficile est dictu: in alterutro certe patet alia contexta a poeta fuisse collocata.

Multo gravius est alterum interpolationis genus, cuius aliquot exempla prolaturus sum. Aulul. 3, 4, 13.

Quid opu'st verbis? facta est pugna in gallo gallinaceo,

qui versus, quum quae eo contineantur, Euclio in praecedentibus iam narraverit, hoc loco tantopere ineptus est, ut eum ab actore suspicer adiectum, quamquam Ausonius praef. ad Griphum p. 447. ante oculos videatur habuisse. Atque eum patet conflatum esse ex v. 6. et 9.

Capt. 3, 4, 32. seq.

Male mihi loqui audes? non te ego novi? HEG. *Pol planum id quidem est:*
Non novisse, qui istum appelles Tyndarum pro Philocrate;
Quem vides, eum ignoras: illum nominas, quem non vides.

Medius versus, qui propter sequentem plane otiosus est, effictus videtur ex v. 14.

Aut, si te odit, qui istum appelles Tyndarum pro Philocrate.

Clausulam in Bacch. 4, 9. a Plauto profectam esse, vix mihi persuadeo: leguntur ibi haec:

Sed, spectatores, vos nunc ne miremini,
Quod non triumpho. Pervulgatum est: nil moror.
Verum tamen accipientur mulso milites.
Nunc hanc praedam omnem iam ad quaestorem deferam.

Nam quod Ciceroni in Pis. 25. de vana triumphandi cupiditate et studio declamare licet, non idem a Plauto dici poterat, cuius aetatem vix plus quam duo triumphi, alter Marcelli a. u. c. 531., alter P. Scipionis Africani a. 549., attigerunt; quo tempore si Plautus triumphandi morem ut pervulgatum et tritum propinavisset deridendum, non posset non inoptus videri. Ad ea potius tempora Plautinus locus spectat, ubi triumphandi frequens usus in abusum verterat.

Mil. 4, 3, 34.

Aurum ornamentaque, quae illi instruxisti, ferat,

qui versus sine vi est, quoniam res in antecedentibus iam declarata est; conflatus esse videtur ex v. 6. seq.

Aurum atque vestem omnem muliebrem habeat sibi,
Quae illi instruxisti, sumat, habeat, auferat,

et ex 4, 4, 11.

Quin etiam aurum atque ornamenta, quae ipsi instruxit mulieri.

Etiam Casin. 3, 5, 52. 56. 4, 1, 9. et Poenul. 1, 1, 66. et si qui alii reperiuntur loci, quibus villici

nomen occurrit, ab interpolatione affectos esse inde colligitur, quod quum Plauti tempore *villarum* nomen nondum pervulgatum esse videatur, non magis vox *villicus* usurpari potuit. Plin. H. N. 19, 19. *In XII tabulis legum nostrarum nusquam nominatur villa, semper in significatione ea hortus: in horti vero heredium. Quam rem comitata est et religio quaedam: hortoque et foco tantum contra invidentium effascinationes dicari videmus in remedio satyrica signa, quamquam hortos tutelae Veneris adsignante Plauto.* Quem locum Plauti Plinius in animo habuerit, in superstitibus fabulis frustra quaesivi. Sed Plautus ubique aut *hortum* aut *rus* dicit, *villam* nusquam, quamquam Terentius ea voce passim iam utitur. Etiam hinc patet in personarum indice Poenuli et Casinae Olympioni et Collybisco *villicorum* nomina a posteriori manu adiecta esse.

Parasitus esuriens in Boeotiae fragmento apud Gell. 3, 3. verbis his queritur sic scribendis:

Ut illum Di perdant, primus qui horas repperit,
Quique adeo primus statuit hic solarium:
Qui mihi comminuit misero articulatim diem.
Nam me puerulo venter erat solarium,
Multo omnium istorum optimum et verissimum,
Ubi iste monebat, esur, nisi quum nil erat.
Nunc etiam quum est, non estur, nisi soli lubet.
Itaque adeo iam oppletum est oppidum solariis:
Maior pars populi aridi reptant fame.

Praetuli v. 4. quod ex librorum scriptura *vetus, vetet* Salmasius eruit, *venter* pro Lipsii *utero*, quod de viro dici negans Munker. ad Antonin. Lib. 40.

p. 267. Verh. improbat, quamvis hoc parum circumspecte, quum *uterus* collato Stich. 1, 3, 9. seq. si id libri praeberent, cur posthaberetur nulla caussa esset. De coniectura dedi *puerulo* ad explendum metrum, quum praesertim *hic* a codicibus absit. Sequenti versu Gatakerum Adv. Misc. 2, 3. p. 283., qui pro *istorum* legi voluit *ictorum* idque de coeli ictibus, qui ad parietem solarii vel in columna delineati sint, interpretatus est, operae pretium vix est refutare. Non magis opus mox eiusdem coniectura:

Ubi iste monebat, esum est, nisi quum nihil erat.

Quod dedi, verissimum est, etiam in Gellii edit., quae ad Aldinam facta Parisiis a. 1508. prodiit, lectum. Versum 7. Bothius partim ex Salmasii mente restituit, minus felix ultimo in concinnando versu, qui admisso in caesura hiatu satis defenditur. Totum autem hoc fragmentum fabulae, quam Plauto nonnullis a grammaticis abrogatam et Aquilii nomini adscriptam, auctori Varro vindicare studebat, a nobis allatum est, quo Plauti esse non posse demonstretur: quod indicium an totam Boeotiam attingat nescio. Ex ipso fragmenti sensu apparet, ad certam solarii usus inventionem iocose alludi. Quum autem de solario Athenis collocato cogitare frequens ibi solariorum usus iam ante Aristophanem inventorum vetet, neque horologium aliquod in Sicilia statutum significari possit, tum quod hoc ipsum ineptum esset, tum quod solarii divisio illo tempore nondum ad horas, sed maiores diei partes pertinebat, quod comprobatum dedit Salmas. Exerc.

Plin. p. 448., non potest non poeta de solario Romae posito scripsise, neque aliter is ab auditoribus intellectum iri putare poterat. Ac Romanum solarium significari docet aliud ex eadem Boeotia fragmentum ab iis, qui Plauti fabularum deperditarum reliquias collegerunt, adhuc omissum, apud Varron. de L. L. 6, 9. p. 75. Bip.

Ubi primum accensus clamavit [sic] *meridiem*

(vulgo *clamari:* Bip. editor *clamarit:*), quod eadem fabulae regione collocatum fuisse videtur. Ex hoc autem fragmento colligitur, fabulae auctorem non nisi eum antiquiorem morem Romanum novisse, quo singulae diei et noctis horae nondum descriptae, essent, sed ab accenso quotidie exclamaretur, *horam esse tertiam, itemque meridiem, et horam nonam,* ut apud Varronem Cosconius in actionibus scribit. Vid. intpp. Gellii l. c. Contra in priori fragmento solarium spectari apertum est, quo Plinio H. N. 7, 60. fin. referente horae aeque noctium ac dierum divisae essent; quod Romam delatum est a. u. c. 595. teste Plinio, qui addit: *Tamdiu populo Romano indiscreta lux fuit.* Vides igitur hoc ex Boeotia fragmentum Plauto a Varrone perperam vindicari, quamquam fabulam ipsam propter alterum Varroni laudatum locum, cuius nonnisi antiquissimus poeta esse poterat auctor, Plauti esse, quamvis posteriori tempore magnopere interpolatam, veri est simile.

Si quae de hoc Boeotiae loco dixi vera sunt, etiam Mil. 2, 3, 69. patet ab aliena manu additum esse:

PAL. *Nec solarium, neque hortum, nisi per impluvium.*
SCEL. *Scio,*

qui versus salvo sensu abesse potest, quum in eo nonnisi praecedens exaggeretur:

PAL. *Scin' tu nullum commeatum hinc esse a nobis?*
SCEL. *Scio.*

Neque aliter iudicandum de Mil. 2, 4, 25.

Nam certo neque solarium est apud nos neque hortus ullus,

qui versus illi geminus eundem fortasse habuit patrem.

Disserendum denique de act. 4. Curculionis scaena prima, quam ad finem huius capitis relegavi, ut totam eam ab auctore, cuius nomine vulgetur, profectam esse non posse copiosius evincatur. Tot enim tantique momenti huic scaenae insunt argumenta, quae singula loca Plauto evidenter eripiant, ut totam posteriori tempore Curculioni adiectam esse fortiter contendam, etsi eam Plauti ingenio perquam dignam esse haud infitiar. Atque eam pro Plautina habuit Varro, siquidem quod is de L. L. 4, 32. p. 4. Bip. ex Plauto citat: *Apud piscarium* ad v. 13. spectat, ubi legitur:

Symbolarum collatores apud forum piscarium,

ex quo loco in Varrone *forum* excidisse patet: maluit tamen Bothius inter locos ex deperditis fabulis citatos v. 4. referre. Primum obelo notandus est v. 11.

Ditis damnosos maritos sub basilica quaerito,

ubi quum tota hac in scaena de locis in foro Romano

quibusdam sermo sit, certam non potest dubitari a poeta basilicam esse significatam. Unam autem in foro *basilicae* nomine nude appellatam esse, patet ex eiusmodi locis, ut Senec. Controv. praef. 4. *ut iudicium de foro in basilicam deferretur.* Cf. Quintilian. Inst. 10, 5, 18. Aliis basilicis nomina propria addebantur, ut inter se discernerentur, veluti *Porciae*, Liv. 39, 44, 7. ibique Drak.; *Aemiliae*, Plin. H. N. 35, 4. Stat. silv. 1, 1, 30. Cic. Ep. ad Attic. 4, 16. Appian. de bell. civ. 2, p. 731. ed. Toll. Lips. ad Tac. Ann. 3, 72.; *Iuliae*, Sueton. Calig. 37. ibique Casaub. Plin. Ep. 5, 21, 1.; *Semproniae*, Liv. 44, 16, 10. Iam Livium audi, qui 26, 27, 3. M. Claudio Marcello et M. Valerio Laevino coss. id est a. u. c. 544. basilicas in foro nondum exstructas esse dicit, basilicam autem, credo primam, 40, 51, 4., ubi vide Drak., annotat a Q. Fulvio Nobiliore post forum piscarium et argentarias novas locatam esse L. Manlio Acidino et Q. Fulvio Flacco coss. id est a. u. c. 575. Hanc basilicam in animo habuisse huius scenae auctorem ex versibus sequentibus colligitur, ubi iam fori piscarii mentio inficitur. Quae si vera sunt, patet Plautum, qui a. u. c. 569. vita non superavit, huius versus auctorem esse non posse. Ceterum ad hunc versum pertinere eiusdem scenae quartum et vigesimum:

Ditis damnosos maritos apud Leucadiam Oppiam,

ut ex alia recensione ortum, apertum est. Alciatus et Lambinus e contextibus plane tollendum, uncis includendum Bothius censuerunt. Si pro Plautino mavis habere hunc, illum contra huic ab interpolatore

substitutum esse, non repugno: sed incertum hoc, quum de *Leucadia Oppia* nihil plane compertum habeamus, nisi interpretum fabulis aurem placeat praebere. Vide tamen quum a Varrone de L. L. 4, 32. p. 43. Bip. basilica *Opimia*, fortasse ex *Oppia* corrupta, memoretur, an de hac basilica cogitandum sit.

Mox gravem suspicionem excitat v. 19. ubi *veteres* tabernae memorantur, quo nomine eas Plauti tempore iam appellatas esse vix mihi persuadeas. *Veteres* enim has tabernas quum per se appareat hanc ob caussam nominatas esse, ut ab aliis *novis* dictis dignoscerentur, id nomen nonnisi ab eo inde tempore, quo *novae* exstrui atque appellari coeptae sint, potuit iis esse inditum. Non magni momenti est decemviratus tempore *novarum* nomen nondum usu fuisse, quod narrat Livius 3, 48, 5. Multo autem maioris ponderis est eiusdem testimonium 26, 27, 2. *Eodem tempore septem tabernae, quae postea quinque, et argentariae, quae nunc Novae appellantur, arsere*, quod accidit a. u. c. 575. L. Manlio Acidino et Q. Fulvio Flacco coss. Huic argumento aliud accedit, quod Plauto *novarum* nomen incognitum fuisse ex ipsius comoediis colligitur: *argentariarum* enim adhuc nomine poeta eas respexit in Truc. 1, 1, 45.

Nam nunc lenonum et scortorum plus est fere,
Quam olim muscarum est, quum caletur maxime.
Nam nusquam alibi si sunt, circum argentarias
Scortis lenones quasi scatent quotidie *).

---

*) Locum corruptissimum hunc ita tentavi: *scatuit* praebuit Cratandr. Similiter Cic. Ep. ad fam. 8, 4, 4. *totus, ut nunc est, hoc scaturit.* Bothius ex coniectura *Scorta et lenones quasi sedent* edidit.

Conferantur etiam qui sequuntur versus, et Epid. 2, 2, 15.

Per myropolia et lanienas circumque argentarias,

ubi Plautus *lanienas* et *argentarias* appellat eas tabernas, quae posthac *novarum* nomine solum argentariae factae sunt. Cf. Varro de vit. popul. Rom. II. apud Non. p. 532, 19. *Hoc intervallo primum forensis dignitas crevit, atque ex tabernis lanienis argentariae factae.* Cf. Drak. ad Liv. 26, 27, 2. 44, 16. fin. De tabernis his qui plura cupit, adeat Adleri Descript. Romae p. 257. 245. et Goerenz. ad Cic. Acad. 2, 22. p. 131. seq.

Disputari denique potest de *pistore* in hac scaena qui v. 22. memoratur:

In velabro vel pistorem *vel lanium vel haruspicem.*

Vocabulo enim huic is significatus, quo pro coquo ponitur, eo demum tempore additus est, quo pistores ex farre non solum pinsendo, sed etiam coquendo quaestum facere coeperunt, quod accidit non ante a. u. c. 580. teste Plinio H. N. 18, 28. *Pistores Romae non fuere ad Persicum usque bellum, annis ab urbe condita super DLXXX. Ipsi panem faciebant ante Quirites, mulierumque id opus erat, sicut etiam nunc in plurimis gentibus.* Artoptam *Plautus appellat in fabula, quam Aulullariam inscripsit* [vulgo *scripsit* 6)]: *magna ob id concertatione eruditorum, an is versus sit poetae illius: certumque*

---

6) Frequentissimum hoc genus corruptelae, qua plurima veterum adhuc loca laborant. Maius in Cic. fr. or. pro Scaur. p. 19. Frcf. edidit: *confectio ipsa tabularum, contendam acriter*. Sed syllaba *con* deest in cod.: facilius *intendam* corri-

sit A. Ateii Capitonis sententia, coquos tum panem lautioribus coquere solitos: pistoresque tantum eos, qui far pinsebant, nominatos. Nec coquos vero habebant in servitiis, eosque ex macello conducebant. Cf. ad h. l. intpp. et Dacer. ad Fest. v. *Coquum*, et *Pistum.* Atque id recte Plinium animadvertisse testatur alius e Plauto locus in Trin. 2, 4, 85. seq.

> *Comesum, expotum, exutum, elotum in balneis.*
> *Piscator, pistor abstulit, lanii, coqui.*
> *Olitores, myropolae, aucupes,*

ubi *pistorem* de eo qui far pinsat, adhuc dictum esse apparet. De Curculionis loco decerni nihil potest.

---

gitur. In Varr. de L. L. 4, 32. p. 42. Bip. restituendum *unde emittuntur* pro *unde mittuntur.* Contra praecedentis vocis littera vel syllaba finalis sequenti vocabulo male nonnunquam adhaeret, ut Cic. de Orat. 1, 3, 12. *dicendi autem omnis ratio in medio posita, communi quodam in usu, atque in hominum more et sermone versatur,* ubi latuit adhuc genuina lectio *ore* pro *more.* Similiter peccatum in Cic. fragm. orat. pro Tullio p. 24. ed. Frcf. *Fabi vi hominibus armatis coactis vi damnum factum esse M. Tullio:* prius *vi* ex ultima nominis *Fabi* ortum esse apparet.

CAPUT DECIMUM.

De diversis Plauti fabularum exemplaribus.

Quae diversorum Plauti exemplarium caussae fuerint, supra expositum est. Restat ut singuli loci, quibus diversa textus recensio conspicua sit, monstrentur. Diversa autem exstitisse apud veteres Plautinarum fabularum exemplaria tribus maxime argumentis comprobatur, quorum primum fragmentis grammaticorum diligentia conservatis nititur, quae in ea fabula, ex qua citantur, frustra hodie quaerantur, nec quo loco exciderint, pateat: his nonnulla accesserunt fragmenta e cod. Ambros. nuper a Maio evulgata, de quibus hoc capite, quum ea integra typis repetenda curaverimus, tacendum est visum. Deinde diversa recensio in variis lectionibus, quae grammaticorum citatis continentur, cognoscitur, postremo in eiusmodi superstitis fabulae locis, in quibus ex diversis exemplaribus vestigia diversae lectionis servata sunt, sive eodem loco utraque lectione in unum conflata, sive alterutra aliorsum male transposita. Quod age singulis iam ostendamus.

Primum eximendi sunt loci aliquot a grammaticis citati et inter fragmenta recensiti, quos in superstite fabula sedem habere, editorum diligentiam effugit. Luculentum exemplum est in Poenulo, ex quo mendose citatur a Charis 2. p. 197. *Importuna vis venit vesperi,* quod docti sic correxerunt: *Importuna avis venit vesperi.* At omnes Plauti editores latuit hoc fragmentum depravatum pertinere ad Poen. prol. 114.

Is heri huc in portum navi venit vespere

unde Charisius emendandus est. Ceterum ex Charisio patet in Poenuli loco *vesperi* restituendum esse: quae forma recurrit Rud. 1, 2, 91. Mil. 4, 2, 5. Ter. Heaut. 1, 1, 15. Cf. Priscian. 15. p. 1006., qui formam male habet pro Dativo. Est enim antiqua Ablativi forma, de qua cap. VI. monui, ut *tempori* pro *tempore*: cf. Parei Lex. Plaut. v. *Tempori.* Forma etiam Ciceroni usurpata esse videtur: cf. pro Sext. 37, 88., unde de off. 3, 14, 5. *tempori* e codd. nonnullis reponendum.

Inter Asinariae fragmenta ex Nonio p. 118. numeratur: *Hic aderit, credo, congerro meus.* Ex Asinaria hunc locum citari, inde collegerunt, quod Nonius quum ex Asinaria paullo ante exemplum attulerit, ita pergat: *Idem: Hic aderit* etc. Quam firmo argumento fragmentum hoc Asinariae tribuatur apertum est. At omnes falli docet Varronis locus, qui editorum scientiam fugit, de L. L. 6, 3. p. 92. Bip., ubi ex Persa idem locus plenior citatur:

Iam pol ille hic aderit, credo, congerro meus

qui totidem verbis reperitur in Pers. 1, 3, 9.

Quod

Quod a Charisio 2. p. 190. ex Sticho laudatur atque inter eius fragmenta relatum est: *Nonne hoc publicitus*, pertinet ad Amph. 4, 2, 8, ubi vulgatur *nobis publicitus*, unde Charisius corrigendus. — Inter locos ex amissis fabulis citatos perperam numeratur v. 34. ex Donat. ad Ter. Andr. 1, 1, 120.: *Instare factum*, qui est Merc. 2, 1, 18. Non dubito quin ii, qui in Plautinarum fabularum lectionem magis se insinuaverint, huic fragmentorum ex deperditis fabulis indici etiam plura erepturi sint. Nonnulla mox docebitur pro variis diversarum recensionum lectionibus habenda esse.

Sed permulta a grammaticis laudata fragmenta manebunt, quae in superstitibus fabulis non reperiuntur: unde maximum petitur argumentum, exemplaria multo diversa a superstite fabularum recensione in antiquitate pervulgata fuisse. Sunt tamen ex iis aliquot quae vel a Plauti interpretibus suo loco iam vindicata, vel sedi suae, unde casu exciderint, reddenda sunt. Ex illo genere est versus Festo et Servio citatus, qui etsi ab omnibus codd. et editt. vett. abest, tamen post Mil 3, 1, 57. suo iure insertus est. Eodem modo eiusdem fabulae versus 3, 1, 128. uni Festo v. *Valgos* debetur, qui quum locum ex *Scytha liturgo* laudat, memoria falsus est, quod saepius ei accidit, veluti v. *Osculana*, ubi ex Nervolaria versus citatur, qui est Stich. 1, 2, 34. Ex eadem idem Nervolaria citat v. *Nassiterna* locum, qui est Stich. 2, 2, 28. Illum autem versum, quem ex Milite, quum nullo in Ms. reperiatur, Bothius expulit, cum antecedentibus belle cohaerere, ut necessarius fere ibi videatur, ipse locus collatus docet:

Tum ne uxor mihi insignitos pueros pariat postea:
Aut varum, aut valgum, aut compernem, aut paetum, aut broncum filium *).

Versus ex Amphitruone a Nonio p. 543, 16. citatus:

Ne tu postules matulam unam tibi aquae infundi in caput

a Taubm. ad 3, 4, 18. commode post Suppos. 4, 2, 7. collocatur. — Post Amph. 4, 3, 4. a Gulielmio Plaut. Quaest. in Amph. c. 11. p. 18. bene inseritur versus ap. Non. p. 285, 15.

Qui nequeo [sic Gulielm.] *nostrorum uter sit Amphitruo decernere.*

Fragm. Amph. v. 14. ap. Non. p. 342, 6.

At ego certe cruce et cruciatu mactabo: exi foras,
Mastigia.

---

*) Ex hoc loco patrocinium nanciscitur vulgata in Ovid. Art. Am. 2, 659., ubi de puellarum vitiis nomine molliendis:

Si paeta est, Veneri similis, si flava Minervae.

Heinsius ex obscuris codicis vestigiis tentat:

Si qua straba est, Veneri similis, si rava Minervae,

quod Bentleius ex parte amplexus ad Horat. Serm. 1, 3, 47. legendum coniecit:

Si straba, sit Veneri similis, si rava Minervae.

Ridicula est Maii ad Symmach. p. 60. Praef. coniectura: *Si poeta est, Veneri similis* etc. Vanam autem esse quamlibet huius loci corrigendi libidinem, docet locus Plautinus, ex quo *paetos* oculos inter vitia numerari colligitur. *Paetam* Venerem dici notum, hoc est interprete Scholiasta ad Hor. l. c. *tremulis oculis et leniter declinatis*, quod Graeci de oculorum flexu amantium λοξὸς dicunt: cf Passov. ad Mus. p. 204. Ac si poeta *strabam* et *ravam* appellasset puellam, tantum hoc esset vitium, ut cum Deorum certe habitu comparari non posset.

legitur inter Suppos. 3.

Ita ego te certo cruce et cruciatu mactabo: exi foras, Mastigia,

unde Nonius corrigitur. — Gulielmius l. c. in Asin. c. 3. p. 31. illum ap. Non. p. 305, 27. ita correctum:

Quin etiam me miseram famosam facit flagitiis suis

post Asin. 5, 2, 25. collocandum esse vidit. Sed Nonii lectio *Qui — flagitiis facit* retinenda erat. Idem Gulielmius in Aul. c. 1. p. 50. versum Nonio p. 98, 26. laudatum:

Nec noctu, nec diu quietus unquam eam, neu [sic] *dormiam*

post Aul. 1, 1, 27. collocari vult: id tamen minus feliciter. Inserendus enim est post 2, 2, 56. — Post 3, 5, 56. Gulielmius c. 5. p. 59. interponendum illum ap. Non. p. 538, 12. recte suspicatus est:

Pro illis crocotis, strophiis, sumptu uxorio,

cui loco conferendus est Auctor or. de harusp. resp. 21, 44. Sed de aliorum commentis hactenus. De meis unum adiiciam. Citatur ex Amphitruone a Nonio p. 105, 22.

Exiuravisti te mihi dixe per iocum,

unde suspicor in Plauti editt. Ald. Brix. Cratandr. Lamb. irrepsisse versum hoc modo refictum post Amph. 3, 3, 17.

Quando isthaec omnia exiurasti te mihi dixe per iocum.

A codd. is abest omnino. Sed versui de alieno nihil addendum est, modo recte collocetur post 3, 2, 41. cum signo interrogationis. Eiusmodi provocationem ad iusiurandum flagitat v. 50.

His ea iungimus loca a grammaticis citata, quae quum in nulla superstite fabula reperirentur, inter fragmenta relata sunt: pertinent autem ea plerumque ad diversam textus recensionem, qua qui locum citavit grammaticus, usus est. Ex hoc genere est quod citat Servius ad Aen. 6, 228: *pro larvato te circumferam*, ubi si correxeris *larvata*, apertum est variae lectionis vestigium, quod pertinet ad Amph. 2, 2, 144.

quaeso quin tu isthanc iubes
Pro cerrita circumferri.

Fragmento Aul. 9. apud Non. p. 487, 16.

Hic quidem pervicus custodem addidit,

ex adverso est Aul. 3, 6, 20.

Quem quondam Ioni Iuno custodem addidit,

unde Mercerus Nonio versum ita ut in Plauti membranis legitur, perperam intulit. Nonii citatio certe arguit hunc Aululariae locum olim diverso modo circumlatum esse. Servius ad Aen. 10, 199. *Ionis* citat: illud tamen propter eandem structuram in Mil. 2, 6, 69. praestat, etiam a Prisciano 6. p. 685. et Attii ex Ione loco ibi laudato confirmatum. Ceterum ex Nonii citatione versus in Aulul. Suppos. 1. irrepsit, loco tam ineptus ut eum ibi existimem eiiciendum.

Quod a Fulgentio Expos. prisc. serm. v. *Auctio* ex Curculione citatur: *Auctionem facere parasiticam*, vix dubito quin olim pro varia lectione loci in Stich. 1, 3, 65. vulgatum fuerit, ubi hodie legitur:

Nunc auctionem facere decretum est mihi.

Totum fragmentum Bothius omisit.

Diversarum vestigia recensionum conspiciuntur etiam in ipsis variis lectionibus, quae a grammaticis servantur. In Epid. 5, 2, 45. legitur:

PER. *Cur dare ausus?* EPID *Quia mihi libitum est.* PER. *Quae haec, malum, ferocia est?*

Donatus ad Ter. Eun. 4, 7, 10. ex Epidico citat: *'Quae, malum haec impudentia est*, quod si transposueris *quae haec, malum, impudentia est* inter diversae recensionis vestigia numerabis: nisi mavis putare locum in Menaechm. 5, 2, 42., ubi eadem fere verba repetuntur, a Donato respectum esse.

Most. 1, 3, 61.

In anginam ego nunc mavelim [sic] *verti, ut veneficae illi Fauces prehendam.*

Servius ad Georg. 3, 497. citat: *Vellem me in anginam verti, ut huic aniculae fauces praeoccuparem:* ita Festus quoque v. *Angor*, praeterquam quod *quo* pro *ut* habet.

Men. 5, 2, 101.

Barbatum, tremulum Tithonum, Cycno prognatum patre.

Posterius hemistichium Bothius partim ex Priscian. 6. p. 688. *qui lucet Cygno patre* praebente, partim ex Ms. Berchemii edi iussit *Cygno qui cluet patre.* At neutra lectio auctore indigna.

Pseudol. 1, 2, 45.

Nam nisi penus annuus hodie convenit, cras populo prostituam

aliter olim lectum esse docet Prisciani citatio 5. p. 658. loci metro soluti: *Nisi mihi annuus penus hic ab amatoribus congeratur, cras populo prostituam vos, o puellae.* Ex versu antecedente *ab amatoribus*

illatum esse apparet: sed reliqua lectionis varietas notatu non indigna. Vulgatam citat Cledonius p. 1896.

Poen. 3, 1, 27.

Vinceretis cervum cursu vel clavatorem gradu

Varro de L. L. 6, 3. p. 94. Bip. *grallatorem;* Festus v. *Grallatores* legit:

Vinceretis cursu cervas et grallatorem gradu.

Utraque lectio proba est.

Progredior denique ad eiusmodi locos, quibus versus in eadem fabula repetiti, aut simillimi aliorsum collocati recensionem prodant alienae manus, quae duorum exemplarium lectiones singulis locis passim servavit. In qua re cave ne cum Bothio agas, alterutrum repetitorum versuum e contextis expellentis. Servandus enim uterque cum diversae nota recensionis. Nonnulla ex hoc genere indicabo. Amph. 1, 1, 8.

Ita peregre adveniens hospitio publicitus accipiar

et v. 140.

Certo [sic] *advenientem me hic hospitio pugnae accepturus est.*

quorum versuum hunc a poeta positum suspicor: ille ex alia recensione ortus, aliorsum posthac translocatus est. Mox v. 12. 13.

Opulento homini hoc servitus dura est.
Hoc magis miser est divitis servus.

Alterutrum adhibuit poeta. Idem in duobus accidit versibus 1, 2, 27. 28. vulgo ita lectis:

Et ne in suspicione ponatur stupri.
Et clandestina ut celetur suspicio.

Posteriorem primus Scioppius partim ex Donato partim ex Festo fere ita ut Bothius restituit:

Et clandestina ut celetur consuetio.

Asin. 2, 1, 2.

Atque argento comparando fingere fallaciam

et v. 4.

Igitur inveniendo argento ut fingeres fallaciam.

Priore mqui a metro sane laborat, non tamen auctoris sed librariorum credo culpa, Bothius plane delevit: notandus certe uncis. Sed aperta sunt alterius recensionis signa. — Aul. 4, 7, 14. 15.

Ut istuc quod tu me oras efficiam tibi.
Ut istuc quod me oras impetratum ab eo auferam.

Nemo erit, qui Scioppio Susp. Lect. 4, 3. et de Art. crit. p. 82. priorem versum pro spurio habenti repugnarit: cf. Clerici Art. Crit. P. III. §. 1. c. 7. segm. 2. T. 2. p. 42. Lond. (T. 2. p. 83. Amstel.). Omisit eum Bothius. At utroque versu produnt se manifesta diversae recensionis vestigia.

Capt. 3, 3, 5. 6.

Nec subdolis mendaciis mihi usquam mantellum est meis,
Nec sycophantiis nec fucis ullum mantellum obviam est.

Priorem versum, quem e cod. Lambini correxi, ut ταυτολόγον, a glossatore ortum, Bothius iussit exulare: sed huius generis non esse solent glossatorum additamenta, quae qualia sint cognoscere licet ex Lamb. cod., qui posteriore versu *integumentum* pro *mantellum* exhibet. Altero in exemplari alteruter versus locum obtinuit: utrumque autem servavit interpolator. Idem iudicium ferendum de 5, 2, 6.

Si eris verax, tua ex re facies, ex mala meliusculam

et v. 15.

Si eris verax, e tuis rebus feceris meliusculas.

Priorem versum radicitus expunxit Bothius. Non aliter sentio de 5, 4, 25. 26.

Nunc demum in memoriam redeo, cum mecum cogito.
Nunc edepol demum in memoriam regredior, audisse me,

unde unum efficit Bothius verbis satis audacter transpositis:

Edepol demum in memoriam nunc regredior, quum cogito.

Sed facilius in priori *recogito* emendare, qua forma apud Plautum nihil frequentius. Posteriori a metro nihil timendum, si consulueris Bothii notam ad Amph. 38.

Casin. 2, 5, 26. 27.

Repente ut emoriantur humani Ioves.
Sed tandem si tu Iuppiter sis emortuus etc.

Alterutrum versum a poeta patet factum esse. Posteriorem, quem Bothius in editione uncis seiunxit, in commentar. a proscriptione liberavit *mortuus* legens, facilius ita restituas:

Sed tandem si tu Iovi' sies emortuus.

De antiquata forma *Iovis* cf. Priscian. 6. p. 695. Hallenberg. *de Deo Gud* p. 41. Reizius *mortuus*.

Bacch. 1, 1, 22.

Apage a me, apage. BACCH. *Ah, nimium ferus es!* PIST. *Mihi sum.* BA. *Malacissandus es*

totidem verbis repetitur v. 40.: illo loco eum delevit Bothius. In alterutra textus recensione versus semel legebatur, aut hoc, aut illo loco: utri aptius appositus sit, dici vix potest.

Duo duplicis recensionis loci in nostris exemplaribus conglutinati sunt, Bach. 3, 4, 14. seq.

Verum quam illa unquam de mea pecunia
Ramenta fiat plumea propensior,
Mendicum malim mendicando vincere.
Nunquam edepol viva me irridebit. Nam mihi
Decretum est renumerare iam omne aurum patri.

Sequuntur mox v. 22. seq. iis gemini:

Sed antequam illa unquam meis opulentiis
Ramenta fiat gravior et propensior,
Mori me malim excruciatum inopia.
Profecto stabile est me patri aurum reddere.

Totum locum Bothius confudit, versibus modo amputandis, modo transponendis opinatus sanandum. — Item sentio de Most. 3, 1, 17. seq.

TRAN. *Numquid dixisti de illo, quod dixi tibi?*
THEUR. *Dixi hercule vero omnia.* TRAN. *Vae misero mihi!*
Etiam fatetur de hospite? TH. *Immo pernegat.*
TR. *Cape hercule, obsecro, cum eo una iudicem.*
Sed eum videto, ut capias qui credat mihi.
Tam facile vinces, quam pirum vulpes comest

et iis quae sequuntur a v. 25. seq.

TR. *Dixistine quaeso?* TH. *Dixi, inquam, ordine omnia.*
TR. *Etiam fatetur de hospite?* TH. *Immo pernegat.*
TR. *Negat?* TH. *Negat, inquam.* TR. *Perii oppido, quum cogito.*
Non confitetur? TH. *Dicam, si confessu' sit.*
Quid nunc faciendum censes? TR. *Ego quid censeam?*
Cape, obsecro, hercule una cum eo iudicem:
Sed eum videto, ut capias, qui credat mihi.
Tam facile vinces, quam pirum vulpes comest.

Versum Mercator. 2, 5, 45.

Quid illuc est, quod ille solus se in consilium sevocat,

non dixerim supervacaneum, quamquam sensui ne-

cessarius non sit: tamen non potest dubitari quin ad duplicem textus recensionem pertineat collato versu 30.

Quid illuc est, quod solus secum fabulatur filius.

5, 4, 19. seq.

Nam ibat exsulatum, DEM. *An abiit?* LYS. *Etiam loquere larŭa?*
Temperare istac aetate istis debebat noxiis.

Ex varia lectione sunt qui sequuntur versus duo:

DEM. *Fateor: deliqui profecto.* LYS. [sic pro EYT.] *Etiam loquere larŭa?*
Vacuum esse istac te aetate iis decebat noxiis.

Pseud. 1, 5, 84. seq.

PSEUD. *Pistrinum in mundo scibam, si id faxem, mihi.*
SIM. *Non a me scibas pistrinum in mundo tibi,*
Quum ea mussitabas? PSEUD. *Scibam.* SIM. *Cur non dictum est mihi?*

Primus versus suo loco plane otiosus est, ne dixerim, ineptus, ut a nostri contextus serie eum iudicaverim excludendum. Non tamen dubito eum ad aliam recensionem, qua locus paullo immutatus legebatur, pertinere. Etiam aliter eum Charisius p. 180. citat:

Quia sciebam pistrinum in mundo fore.

Poenul. 5, 2, 83.

Quaero, commonstra, si novisti, Agorastoclem.

Legitur ex adverso positus huic versus, qui sequitur:

Ecquem adolescentem tu hic novisti Agorastoclem?

Agmen claudat insigne duplicis recensionis exemplum e Persa 3, 3, 28. seq.

DORD. *Mirum quin tibi ego crederem, ut idem mihi*
Faceres, quod partim faciunt argentarii:
Ubi quid credideris, citius extemplo a foro
Fugiunt, quam ex porta ludis quum emissu'st lupus.

Mox v. 37.

DORD. *Mirum quin citius iam a foro argentarii*
Abeunt, quam in cursu rotula circumvertitur.

A metro v. 28. magnopere laborat, cui frustra adhuc viri docti studuerunt consulere. Cratandria:

Mirum quin tibi ego crederem ut idem faceres mihi,
Quod partim nostri faciunt argentarii.

Hinc eruendum videtur:

Mirum quin tibi ego crederem ut faceres mihi
Idem quod nostri faciunt argentarii.

V. 31. nemo non videt lupo, quem suo loco restituimus, recte cessisse leporem.

Plurimam horum versuum partem Bothius pro spuriis habet, cuius sententiae ut adstipuler tantum abest, ut eos satis antiquos ex varia recensione ortos, atque utramque lectionem in unam seriem ab interpolatore compactam esse statuam. Atqui eiusmodi versus, qui ab interpolatore recentioris aetatis genuinis Plauti contextis inserti sunt, auctorem alienum ipsi satis produnt. Ab interpolatore in Most. 3, 1. ex v. 121. repetitur male v. 102.

Quatuor quadraginta illi debentur minae.

In Militis scaena ultima versus 20. magnopere languet:

Si te salvum hinc mittimus Venereum nepotulum;

tuto enim sensu hic versus abesse possit. Versum ab

initio paullo inversum interpolator translocavit ex v. 28., ubi nunc idem fere legitur:

Ut te hodie hinc amittamus Venereum nepotulum.

Ex hoc loco et Priscian. p. 610., ubi *amittimus* citatur, prior versus corrigendus est. — Non magis procedit oratio in Merc. 4, 6, 10.

Ecastor, faxim, si itidem plectantur viri,
Si quis clam uxorem duxerit scortum suam,
Ut illae exiguntur, quae in se culpam commerent:
Plures viri sint vidui, quam nunc mulieres.

Nempe v. 11. perperam repetitur ex v. 3.:

Nam si vir scortum duxit clam uxorem suam.

Plures locos apponere, quos Acidalius, in hoc genere saepe sagacissimus, et Bothius obelo notavere, alienum videtur. Addo versum in Asin. 1, 1, 92. ineptum:

Quid si forte in insidias devenero,

a Bothio ducibus pluribus MSS. proscriptum, etiam a Nagleri codice abesse. Non tamen Bothio Asin. 1, 1, 113.

Ibo atque ibi manebo apud argentarium

accedo spurium pronuntianti. Nec satis erat caussae, cur Bothius Capt. 2, 2, 38.

Nam ille quidem Theodoromedes fuit germano nomine

offenderet: nam quae Hegioni Philocrates respondet, caussam, cur Thesaurochrysonicochrysides appellatus sit Theodoromedes, non indicant. Voluit tantum Philocrates dicere, viri nomen mutatum esse, quum is antea audivisset Theodoromedes.

APPENDIX.

Fragmenta Plauti ab Angelo Maio nuper reperta.

Quod fore vix quisquam sperabat, ut Plauto, quum quae ad comoedias eius restituendas illustrandasve in bibliothecarum recessibus laterent adminicula, protracta in lucem omnia atque excussa esse viderentur, etiam nunc novum lumen reperto aliquo subsidio accensum iri, his fere diebus evenit laudabili Angeli Maii diligentia, qua e tenebris bibliothecae Ambrosianae, quae Mediolani est, in lucem tandem emissus est praestantissimus codex rescriptus, qui editas Plauti comoedias omnes continet exceptis Amphitruone, Asinaria, Aulularia, Curculione. Quo in eventu felicissimo nihil dolendum est praeterquam quod codex tum propter superinductam aliquot bibliorum veteris testamenti scripturam tum propter incuriam temporis, quod librum hunc lacerari et a blattis tineisque paene comedi passum sit, totus fere oblitteratus et mutilus nostram usque ad aetatem pervenerit. Eorum autem codicis locorum, qui legi adhuc poterant, lectiones aliquot et frag-

menta nonnulla evulgavit una cum praestantissimis aliis accessionibus Maius, *) felicissimus codicum inventor, cui non possis non maximam referre gratiam, quod codicis huius conferendi labori nauseae taediique refertissimo suum otium collocaverit absolvendo.

Codex est palimpsestus, cuius superinductam scripturam Maius p. 34. ad seculum VII. referendam esse annotat. Quod in praef. p. 10. de antiquitate Plautini textus scripturae monetur, quam Maius infra Antoninorum aetatem ex grandiorum genere litterarum, quarum specimen dedit in tabula aenea exsculptum, concludit depellendam vix esse, nemo, credo, subscribet: iudicium equidem supprimo aliis relinquendum peritioribus, quibus maior fuit codicum inspiciendorum copia. Annumerandus certe est codex hic antiquissimis, qui nostram attigerunt aetatem. Quas Maius varias lectiones et fragmenta, quae inter ex Vidularia versus aliquot reperiuntur, e codice excerpta edidit, quum iis Plauti comoediae partim corrigantur partim suppleantur, opus facturum me putavi non ingratum iis, quibus curae est Plauti fabularum lectio atque emendatio, si subiecta mea annotatione quantulacunque repeti curarem. Ceterum eorum quae Maius typis describenda selegit, etsi nonnulla prorsus inutilia, immo falsa esse probe intelligeremus, omnia dedimus integra, quo lectori, cui extraneus Maii libellus oculis vix

*) Prodiit eius liber proximo anno Mediolani splendidissime, hoc inscriptus titulo: *M. Acci Plauti fragmenta inedita item ad P. Terentium commentationes et picturae ineditae inventore Angelo Maio Bibliothecae Ambrosianae A LL. OR.*

fortasse usurpandus venisset, ipsi relinqueretur iudicium. Unum restat te rogare, Angele Mai, ut ne quae tu repereris et primus in vulgus edideris mox repetentem me credas aliquid laudis tibi velle eripere, aut laboris fructum obtrectare. Idem qui te ad protrahenda haec Plauti subsidia impulit amor litterarum, me instigavit, ut quae tu reperisses, mea opera huic litterarum antiquarum generi dedita illustrare ac, si possem, emendare studerem. Denique cohortandus es, ut ne quam dulcissimam nobis ostenderis spem, ex hoc et aliis sex, quos memoras, Plauti codicibus bibliothecae Ambrosianae quae utilia viderentur, publici iuris facturum te esse, frustrere, sed mox des effectam.

CASINA.

5, 2, 8. Abduxi: sed tamen tenebrae ibi erant tanquam in puteo [1])

9. Cum senex .... incumbe inquam ....

Cetera huius scaenae in cod. desunt.

5, 4, 3. .... periculum. [2]) Peristi hercle. Age accede huc modo.

---

1) Suspicari possis *tanquam nox in puteo,* quum plurimi libri *nox* cum lacuna praebeant. Sed quoniam nox in nonnullis desideratur, ut in cod. Nagl., duplicem iam in antiquitate circumlatam esse lectionem suspicor, quarum alteram praestat vulgata codicum plurimorum quamvis non integra, alteram Ambros. codex. Ceterum *obduxi,* quod in nonnullis est, non video cur adhuc posthabitum sit: cf. Salmas. Exerc. Plin. p. 650. seq. *Abduxi* enim defendi vix possit.

2) Loquitur Stalino, cuius verbum *periculum* Cleostrata car-

4. Nunc ego te putam quom arbitrum extra consideam captavero.
5. .... sic e via
6. Iubeo ..... ego murmur ......
7. Nunc ego inter sacrum saxumque sum, nec quo fugiam scio.
8. ..... canes lupinas ... fuit....
10. Hercle opinor .... illuc nunc ut nova vetus
11. Hac ibo etc.

Lacuna igitur, quae post v. 3. in omnibus MSS. est, septem in Ambr. versibus expletur, non octo, ut vulgo creditur, in quo Maius viros doctos decipi docuit, qui v. 4. propter longitudinem in duos diremptum pro integris duobus habuerint. In sequenti Ambr. pagina huic scaenae novem versus addi, qui vulgo non legerentur, Maius annotavit: sed ita oblitterati sunt, ut legi nequeant. Etiam in huius actus sc. 1. et 2. Maius aliquot versus animadvertit ineditos, qui non magis legi potuerunt.

CISTELLARIA.

Permulta in hac fabula, ut nostris in exemplaribus legitur, excidisse, accuratus facile intelligit lector

pit sequentibus *Peristi* etc. usque ad v. 7., quem poeta Stalinoni tribuit. V. 7. Maius fere repeti vidit Capt. 3, 4, 48.

Nunc ego inter sacrum saxumque sto, nec quid faciam scio.

ubi Both. *ego* male delevit. Uterque versus tam similis est, ut ex Casina eum ab histrione vel interpolatore illuc traductum censeam, ubi incommode interponitur. Ac crediderim Casinae loco *quo fugiam et quid faciam* diversis in exemplaribus lectum fuisse.

lector, atque id ipsum docet argumentum acrostichum et prol. 1, 3, 47. *seq.*, *ubi Alcesimarchus Silenium, postquam civis Attica est cognita, in matrimonium traditur duxisse: quod absolutum in nostra superstite fabula non reperitur. Etiam de amore Alcesimarchi, qui Silenium deperibat, perpauca in nostra fabula leguntur, ita ut huius argumenti locum non exiguum interiisse coniicias: quod testantur reperta a Maio fragmenta, quae ad hanc fabulae partem maxime spectant. Dolendum autem magnopere Maium quo fabulae loco fragmenta, quae edidit, reperta sint tacuisse, quo factum ut sensus horum pannorum reconditus etiam magis nos lateat. Quinque folia Maius reperisse se testatur complectentia circiter versus* 180., *qui in nostra fabula non inveniantur. Horum qui legi poterant, hi sunt:*

Sed quid istum adicis . . . .
Quia vivum . . . doleo . . . si tu vis. 1) Volo.
At enim 2) ne tota ponas pugnos tuos in
imperio meo. . . . .
Nunquam . . . . . fidem . . . .
Sed ego primum Dii quia . . . .
Sum nihili nihil . . .
Quae meam an . . . dignus . .

---

1) Personarum nomina in antiquissimo nostro palimpsesto praeponuntur quidem scaenarum initiis, sed deinceps omittuntur: relicto tamen spatiolo ad id loci (veluti hic) ubi ea interponi oportebat. MAIUS.

2) *At enim* ortum fortasse ex *Etenim*, quod librarius pro *enim* correxerat. *Enim* ab initio positum saepius in Plauto recurrit.

. . . acerba faceret . . . frugi non quaeris
Praestat . . . quae con . . . cum . . .
Neque Deos neque homines aequom est facere, etsi posthac sim. [3])
Quae mihi esset commendata et meae fidei concredita,
Quae esset aetatem mecum exactura, mecum in matrimonio
Compecta sit, capere oportet, neque eam unquam ponere.
Erili . . . . . tribus multum credi oportere arbitror.
Quae . . . clamat . . . mariti sua ut . . . solita sis
Ob istuc invadier eum dignus deciens qui furca
Egomet laetor. Sed quid auctor nunc mihi est? [4])
. . . . suspendas . . . . .
. . . . fiet.
. . . . hic insanit miser
. . . . nihil moror . . . . . .
Ubi sunt quae iussi? Sane . . . . non est satis
Monuisse credo nocenti. Cum illaec sic facis

---

3) Leg. *siem.* Mox v. 12. *esset* ex versu praecedenti irrepsit atque v. 13. *compacta esset* scribendum. *Compecti* est in cod., qui pro *eam*, quod edidit Maius, *eas* praebet.

4) Duo videntur bacchiaci ita disponendi:
Ob istuc invadier eum dignus deciens qui
Furca égomet laetór. Sed quid auctor mihi núnc est.

Utrum deliras, quaeso, an amans somnias?
Qui equum me oplio non vis loricam adducere.
Multos hastatos post id multos velites
Multos cum multis. Haec tu (fe)ruor ....
Mihi fabulatus. Dixin ego istaec obsecro?
Modo quidem hercle dixistei 5) non praesens 6) quidem.
Praestigiator es, siquidem hic non es atque amens.
Video ego te amoris valde tactum toxico,
Adulescens: eo te magis 7) volo monitum.
Mone.
Cave sis cum amore umquam bellum sumpseris.
Quid faciam? 8) Ad matrem eius devenias domum:

---

5) Scribendum *dixti.*

6) Latet loci acumen in ambigua vocis *praesens* significatione. Melaenis enim lena, quae cum Alcesimarcho amore Silenii perdito hac in scaena rixari videtur, adolescentem quaedam verba, quae dixisse se ipse v. 28. negat, dixisse affirmat, quae quum amore amens ac mente non praesente esset, oblitus sit. Vocabulum *praesens* iam persona, quae v. 30. loquitur, carpens Alcesimarchum ut praestigiatorem incusat, quoniam is, quum *hic* adsit, non adesse dicatur. V. 30. ita videtur scribendus:

Praestigiator es, si hic non es, atque amens.

Secundam in *praestigiator* Plautus modo corripit, modo producit. Sequenti versu 31. lena pergit loqui.

7) Legendum *mage.* *Mone* est adolescentis interloquentia.

8) Sunt adolescentis verba: post vocibus *ad matrem* pergit Melaenis usque ad v. 37., qui est adolescentis.

Expurges, iures, ores blanditer precibus, 9)
Eamque exores, ne tibi succenseat.
Expurgabo hercle omnia usque ad raucam ravim. 10)
. . . .
Muliercula mea ornatula si sit ut quidem hercle scita;
Quamquam vetus cantherius 11) sum, mihi nunc, ut ego opinor,
Adhinniret. Equolam possum ego hanc si detur sola soli.
Nimis opportune mihi evenit redisse Alcesimarchum;
Nam sola nulla invitior solet esse . . . . . .
Ne sola sis . . . cum . . . . tu agas aliquid
Nimis . . . . concinne ut hasce non Alcesimarchus:
Ut quo . . . . derideret . . . . duris . . . . .
. . . . errat haec aedes olim quia amatores polluit.
Non . . . . quoque hercle fabulatur

9) Scribendus hic versus ita:

Expurges, iures, ores precibus blanditer.

10) Versum hunc inter fragm. Cistell. v. 19. legi vidit Maius. Citatur is a Nonio v. *Ravis*, et Festo v. *Ravim*, qui eum ex Artamone perperam affert; mendose etiam ibi *experiuraui*.

11) Metrum huius et sequentium versuum est iambicum tetram. catal. Totius versus sensus in aprico est: alludit enim poeta ad cantherios, quoniam castrati sunt. Sequens versus monente Maio exstabat ultimus inter fragmenta Cistellariae.

Sed cum dicta huius interpretor haec her-
cle'st, ut ego opinor,
Meum quae corrumpit filium . . . .
. . . . . . quam videre dictis . . . . . . credo
Nam . . . ea e disco deductas habet meus
gratus. Haec ubi astat
Hoc habeo tam . . . opinor, nam haec illum
Quid si adeam atque appellem mali damni-
que? Inlecebras aut
. . . . postulabis
. . . . vale
. . . . alter
. . . . quidvis
Quid ego usquam . . . .
Habent . . . . atque nostra
. . . .
Lenta se mater . . . quidem . . . innocenti
Do tibi . . . ullus nisi tibi . . . carus quis-
quam
Sed iste . . . filius quidem . . .
Nisi . . . filius nemo est . . .
At ego moror . . . damnosos ante ullum
Quid . . . is ne est? Arbitror
. . . . aufer manu
. . . aleas . . . . cur gaudet
. . . ad . . . . dolo
Ut . . . .
Nos illata . . . aut qui . . .
. . . pone . . . . quae ita . . . loqui
. . . . das mihi operam . . . . . .

. . . . mihi molesta est quin adeo . . . .
. . . . quaedam . . . . si nescias
. . . . . . illam perdam . . . .
. . . . . quam si hoc fallor . . . . moror . .
. . . . . . multum falli . . . . orat feres.

EPIDICUS.

3, 4, 87. . . . . malleum
. . Sapientiorem vidi excusso manubrio.

Alii sex Plauti codices Ambrosiani recentiores:

Sapientior est . . . . manubrio mulier. [1])

---

1) Editur vulgo omnibus fere codd. conspirantibus:

Is etiam se sapere memorat; malleum
*Sapientiorem * * * manubrio*

manifesta cum lacuna, in qua editores frustra desudaverunt explenda. Quod praebent editt. vett.:

Sapientior est ut malo haerens manubrio mulier

nullo in codice reperitur, et nescio, an sana verbis insit mens. De loci sensu, qui requiritur, ambigi non potest. Voluit enim poeta: nec malleum, nec manubrium quidquam sapere; alterutrum si sapiat, prae malleo sapere manubrium, quia eo totus malleus regatur. Epidicus stupidus iam sapere se glorietur, manubrio etiam sapientiorem esse malleum. Comparatur enim cum manubrio dominus, cum malleo servus. Cod. Ambros. lectione locus egregie sanatur. Sensus iam hic est: Epidicus si sapit, malleus sine manubrio sapientior est quam cum manubrio. Unde vox *mulier* nata sit, quam praebent ceteri sex Ambros., si quaeritur, eam ex personae nominis inscriptione in scaena seq., ubi ad *Philippa* fortasse adscriptum erat *mulier*, adscitam esse possis coniicere. Ceterum Ambros. lectio *sapientior est* etiam Nagleri codicem occupavit.

BACCHIDES.

4, 9, 24. Si Helenam abduxit. 1)

MOSTELLARIA.

3, 3, 28. Dicam ut hinc res est quaeso ar(ma ferte) manum pueri. 1)

Ineditos codex praebuit hos alio folio lectos:

Non edepol video. At ego video volturios duos 2)

. . . .

Puere atque . . . . hac me.

MENAECHMI.

Inediti aliquot ita oblitterati sunt, ut legi nequirent.

MILES GLORIOSUS.

2, 2. *inter v.* 16. *et* 17. *ineditus inseritur:*

Quid tumultuas qum nostra familia? Occisi sumus.

---

1) Vulgatam unice veram esse iam Maius vidit.

1) Confert Maius 2, 1, 37.

2) Vidit Maius pertinere fere ad 3, 2, 147. seq. Ineditum hunc versum apertum est variantem esse lectionem v. 150. ita constituendam:

Jam vides? TH. *Non pol video: at ego video volturios duos.*

Pol et *epedol* saepissime confunduntur: Aul. 2, 2, 83. legendum:

Hodie quin faciamus, num qua caussa est? Immo pol optima.

2, 2, 22. in tegulis. [1])

26. Hos iube transire quantum possint, se ut videant domi.

Inter v. 29. et 30. inseritur hic:

Profecto ut ne quoquam de ingenio degrediatur muliebri. [2])

31. Ut eum qui se hic vidit verbis vincat, ne iste viderit. [3])

48. Nixus laeva.

49. Ferit femur.

50. Dexterum ita vehementer, sed quod agat, aegre suppetit.

54. Mento suffigit suo

Post v. 73. sequuntur inediti duo:

Et ibi osculantem meum . . . hos . . .
Video ut videtur negem quo . . . [4])

Inter 3, 1, 124. et 125. inseritur ineditus:

Continuo excruciarer animi, sin forte fuisset febris

Versus 127. et 128. in cod. desunt.

MERCATOR.

2, 1, 45. Verum hercle simia illa atque haedus m(etuo)

---

1) Verba haec Gronovius a codd. et editt. vett. abesse dixerat. Leguntur iam in Cratandr.

2) Irrepsit male *de*, quo numeri pessumdantur. Loci sensui hic versus admodum est aptus.

3) Plurima codd. pars *verbis*: sed *vero* modo cum *vidit* iungatur, non minus probum. Decerno equidem nihil.

4) His versibus Sceledrus, quae v. 52. seq. narraverat, repetiisse videtur.

Adportant atque . . . sse quo . . . auso . . .

Pro 2, 3, 121. codex duos exhibet:

Sed ille quidam qui mandavit tibi, si emitur, tum volet.
Si ego emo illi qui mandavit, tum ille nolit, nihil agis. [1])

PSEUDOLUS.

Ineditum fabulae argumentum, quod a quodam Plauti interpretum apud Gell. 3, 3. memoratorum Maius credit esse confectum, in codice reperitur, minoribus rudioribusque litteris scriptum; antiquum satis esse docet tum scribendi tum numerorum genus.

Calidorus *scortum iuvenis Phoenicium*
Etflictim deperibat nummorum indigus.
Eandem miles qui viginti mulierem
Minis mercatus abiit, [1]) absolvit quindecim.

---

1) Verba *si ego — mandavit* sunt Charini.

1) Legendum *abit.* Mox v. 7. codex *praetio,* et *adpraehendit* pro *ad prehendendum.* V. 10. apertum est legere *servus Pseudulus,* ut mox v. ult. *servo Pseudulo.* Eadem corruptela cod. Berol. in Cic. Cat. Mai. 14, 12. *Sedulo* pro *Pseudulo.* Posteriori loco Maius suspicatus est *fraude Pseuduli,* vel simile aliquid. Ceterum animadvertenda est correpta secunda in *potitur,* aliis exemplis confirmata. V. 12. codex *adfert,* quod Maium nolim reiecisse. Referendum enim est non ad Pseudolum, sed ad calatorem militarem a milite missum, quod etiam sequentia *minas* etc. arguunt, quae ad eundem pertinent. Res fit apertior, si versum numeris destitutum corrigenti mihi ita adstipuleris:

Adfert, minasque quinque acceptas mutuas

V. 14. videtur auctor scripsisse *sycophantia.*

Scortum reliquit ad lenonem ac symbolum:
Ut qui attulisset signum simile cetero
Cum pretio secum aveheret emptam mulierem.
Mox missus ad prehendendum scortu' a milite
Venit calator militaris. Hunc *artibus*
Adgreditur adulescentis servus seudulus
Tamquam lenonis atriensis. Symbolum
Aufert. Minas quinque acceptas mutuas
Dat subditicio cacúlae cum symbolo.
Lenonem fallit sycophantacie cacula.
Scorto Calidorus potitur vivo seudulo.

Fabulae praefigitur grandioribus litteris haec inscriptio:

M. Iunius. M. Filenus
b(is) a(gunt) m(e)?

Ex prologo nonnisi ultimi duo versus in codice leguntur, quo reliquorum, qui in plurimis codd. desunt, auctoritas etiam magis infringitur.

1, 2, 74. Male facis mihi etc.
78. Deportatum erit.
82. Ain excetra.
1, 3, 3. Nihil curassis. [2]
64. Postilla cautiores sunt.
81. Di meliora faxint.

Inter 1, 5, 7, et 8, inseritur ineditus:

Sed dissimulabam. Jam illi *notus* filius [3]

---

2) Rectissime hoc. Vestigium genuinae scripturae latet in nonnullorum lectione *bene, ne curassis.*

3) A vocabulo *iam* Pseudolus loqui incipit.

2, 4, 12. Te, te tyranne (*bis tantum te, sed male*).

POENULUS.

5, 1. *Versus Punici decem tantummodo in Codice sunt, iique immaniter differunt ab editionibus: sed Codex etiam hoc loco carie et posteriore scriptura male habitus est. Nos ea quae potuimus aegre eruere damus, et quidem litteras continuas indiscretis verbis, ut melius Codicis facies ipsa prodeat, et quisque pro suo libito tam vexatum a Criticis Plauti locum legat. Litteras autem dubias more nostro parenthesi includimus. MAIUS.*

5, 1, 1. Ythalonimvalonivthsicorathiisthymhimahymacomsyth
2. Cymb(al)ivmamitala(ve)lotha(mita)
3. Ivlecan(th)econaalonim(d)alvmbar(id)echor
4. (Dat)si(l)l(i)thvheso(b)inesvb(i)cs(i)llimbalim
5) (Esse)mi(te)damossonal(i)mvedvbertefet
6. Denotvn(mi)vn(e)ccalthvmvcommv(t)rolvfvl
7. Altanimavosdvberitthemhnaacharistolem
8. Sih(iida) . . . nasoe(basy)heltcot
9. Alemvsdvberiminp(i)mvcopsvestiti
10. Aoccaaneol(is)orbodes . . . . as(t)ilimlimmimoclvs

5, 2, 67. Gvnebbalsamiml(i)rila
5, 3, 22. Avamma(lli) . . . .
23. M(i)psta . . . .

Desinit fabula ut vulgo 5, 6, 34.

Si placuit, plausum postulat comoedia.

Sequentem scaenam septimam in duobus codd. Palat., Vaticanis et Sambuci lectam, quae pro supposita vulgo fertur, etiam Ambrosianus tuetur, quo eam antiquis certe manibus deberi arguitur. Hinc certissimum diversarum recensionum conspicitur vestigium, quum quae omnibus in codd. vulgo fertur fabulae clausula, ad scaenae antecedentis calcem posita, auctorem non minus antiquum prodat. Dolendum autem paginam in cod. Ambros. versu decimo desinere. Hi decem ita leguntur:

Quam rem agis miles, [1]) qui libet patruo meo
Loqui inclementer? Ne mirere mulieres
Quod eum sequuntur: modo cognovit filias
Suas esse hasce ambas. Hem quod verbum meas aures [2])
Tetigit? Unde hae perierunt? Domo
Carthaginienses sunt. At ego sum perditus.
Illud ego metui semper ne cognosceret
Eas aliquis, quod nunc factum est. Vae misero mihi.
Periere opinor duodeviginti minae
Qui hasce emi. Et tute ipse peristi, Lyce.

1) Codex *melius.*

2) Metrum restituitur ex vulgata *aures meas*, ut etiam in seq. versu admisso in caesura hiatu:

Tetigit? Nunc perii! Unde haec perierunt, Domo.

Haec est in Ambros. Fere ita Bothius;

PERSA.

Post verbum [versum?] nonum in 3, 3. sequitur ineditus. MAIUS:

Non mihi censebam tantum argenti fore.

4, 3, 37. Chrysopolim [1]) Persae.

Post 4, 4, 47. inseruntur paene inediti duo:

Ne temere hanc te emisse dicas me impulsore aut inlice.

Volo te percontari. Quin laudo inquam consilium tuum.

Nisi molestum est etc.

Post 4, 8, 7. additur ineditus:

Tunc quando abiero. Quin taces? Scio quid velis.

RUDENS.

2, 6, 34. Hince. 44. Quom vestimentis. 45. Ne thermipolium. 46. Ita salsam praehibet. 50. Ut quom. 53. Iure optimo. 54. Qui? Qui auderem. 62. Conpactum. 65. Ad unam hanc tuniculam. [1]) 70. Adulescens Plesidippus. 71. Quo ab arrabone.

---

1) Rectissime: cf. Cellar. Notit. orb. antiq. 3, 8, 12. Adde Plin. H. N. 5, 43.

1) Ita recte, etiam Vaticano confirmante: atque edidit Reizius. Ceterum plurima harum variantium lectionum pars exiguam affert utilitatem, ut, Maius eas nisi annotasset, equidem omisissem libenter.

2, 7, 17. Dum arescunt mea: in aliquo tibi gratiam referam loco. [2])

18. Tegillum eccillum.

3, 4, 66. Quom coniecturam.

69. Dum ego ero adduco meum.

70. Quare erum etc. maximo.

72. Ne habitat aut promisimus.

Post v. 73. ineditus adiicitur, fere oblitteratus:

(Cape) modo ego . . . . . . venero.

3, 5, 7. Istos ambos. 8. Non hercle equidem censeo.

12. Si te non ludos pessimos.

Post h. v. repetitur decimus Verum *etc.*

STICHUS.

1, 3, 1 — 5. *codex ita exhibet:*

Famem fuisse suspicor matrem mihi:
Nam postquam natus sum, satur numquam fui.
Neque quisquam melius referet matri gratiam, [1])

2) Recte: non opus igitur Reizii, nec Bothii coniectis. Ceterum utrum *dum arescunt mea* tetibas, an *dum mea arescunt*, nihil interest. Utrumque libri MSS.

1) Versus hic multum abest ut eum ex ordine depellat, cuius locum occupavit. Nam primum et loco, quo in cod. Ambr. legitur, eum non quadrare quivis intelligit: versum 4. autem *Eam* etc., quem restituit Acidalius, deesse non posse suo loco, satis docent sequentia. Atque ipsum versum, quo Plautum codex ditat, sensum eius si spectas, non poteris non ita languidum censere, ut eum, nisi codicis Ambrosiani auctoritate firmaretur,

Quam ego matri meae retuli invitissimus.
Nam illa me etc.

1, 3, 12. Sed matrem parere nescio: nec quid agam scio.

72. Nulli meliores esse parasitos sinam, 2)
73. Vel unctiones Graecas sudatorias
74. Vendo vel alias malacas crapularias.
77. Ac riginosam strigilem.

Inter 2, 2, 62. et 63. ineditus inseritur:

. . . . est tandem aliquando inportunam exigere . . . . .

Inter 3, 1, 36. et 37. interponuntur quinque versus inediti, vix legendi:

1. . . . .
2. . . . . nam meae

---

censeres expellendum. Si retinendus est, ut videtur, quum eiusdem versus vestigia in nonnullorum MSS. lectione v. 4. reperiantur, qui ita eum exhibent: *Atque rettulit quam ego meae matri fami,* quo respicit fortasse Charis. p. 40.: certe incolumi vulgata post v. 4. erit transponendus.

2) Egregie iam Dousa versum restituerat ita:

Nulli meliores esse parasito sinam,

ut edidit Bothius. Etiam MSS. *nulli* et *parasito*. Mox v. seq. ex cod. Ambr. vulgata *unctiones*, quam Valla duce Rostius Plautinor. Cupedior. Fercul. VI. p. XIV. in *cantiones* mutare frustra molitur, novum nanciscitur praesidium. Vulgata recte habet, modo iungas cum praecedentibus. Etiam v. 74. lectio ex Ambr. optime restituitur, quam Bothius temere invertit. Ceterum quam Acidalius Divv. in Plaut. p. 467. seq. versuum horum transpositionem excogitavit, nemo non dicet ingeniosam: ac Bothius ita locum edidit. Sed vereor ne hi Plautum correxerint secundum regulam, quam ipse aut non noverit, aut sciens contempserit.

3. At . . . . . ego cum ven . . . . .
4. Dari ut eum verberabundum adducam domum
5. Parata . . . faciam ut sit egomet . . . moror.

3, 1, 37. Atque id ne vos miremini hominis servuli
42. *deest in codice.*

3, 2, 18. Locata [3]) est opera

Versibus 29. et 30. inediti interiiciuntur:

Sed quoniam nihil processit, at ego ha(ud) ero
Apertiorem (aget) vix ita plane loquar.

Inter 4, 1, 29. et 30. legitur ineditus:

Haec si ita ut volo conficio . . . ait per annos.

4, 2, 51. . . . . . ero negatas im . . . nunc consilio . . . opu'st.
56. Potione iuncea.

TRINUMMUS.

3, 3, 16 — 18. Nunc si opperiri vis adventum Charmidis,
Perlongum est: huic ducendi interea abscesserit
Lubido: atque ea condicio huic vel primaria est.

Eadem

3) Fortasse etiam vulgatum *vocata* defendi potest.

Eadem omnia istuc veniunt in mentem mihi. [1])

TRUCULENTUS.

2, 4, 32 — 34. *ita leguntur in codice aucti:*

Quod tu hic etc.
Quid id est? Primum cum tuis es aucta liberis
Cumque bene provenisti etc.
Concedite hinc vos intro atque operit' ostium
Tu nunc supersus [1]) solus sermoni meo es
Tibi mea consilia etc.

VIDULARIA. [1])

Quid . . . . . . qui des . . .
Sed quidnam ego . . .
. . . . . . audivisti quid
Qu . . . vocum . . . at. at . . . . . .
. . . possum opinor . . .
Est ita an mer(ito) servias q . . . dis quid . . .
Quid tu . . . .
Nam qur . . . . miror
Non sumsi quidem . . .
Laboriosam . . . at Syrus . . .
Ut ita . . . aliquan . . . . . .

---

1) Lectione cod. Ambros. locus hic egregie restituitur et suppletur: concidunt iam omnia virorum doctorum tentamina.

1) Lege *superstes*.

1) Vide, si tanti est, quae cap. VIII. de hac fabula diximus.

Tali si ac tantis tuae sunt consuetae manus
Atque . . .
Mollitia urbana aequ . . . ac orbus . . .
Misero . . .
Quod ais . . . ut . . .
. . . opus . . . malo
Quid . . . quam Syrum . . .
. . . quod . . . us . . .
. . . mem . . .
. . . pol eq(uidem) credo mercennarium
. . . quam qui diu
. . . mereo ne tum quicquam tuis
Nequ . . . non . . . o domum
. . . sororem gorginem [2])
Vicinus igitur est . . .
Seu quem . . . hunc novit cum
Hic . . . his . . . ego adducito
. . . arcam . . . probe
. . . quam hic . . .
. . . quaeram postquam
. . . erit . . .
Tam scio quam . . . stare
Nisi quod ego meis . . .
(Hic) astabo atque observabo siquem ami-
(cum) . . .

DINIAS NICODEMUS CACISTUS [3])

Ne tu edepol hodie miserias multas tuas

---

2) Maius *virginem* suspicatus est.
3) Sunt trium personarum nomina, quibus nova Vidulariae

Mihi narravisti, eoque a(udiere) maxume
Et apertius si . . . quia me miserebat tui.
Illic est adulescens quem omn . . .
Etiam ego age ig(itur) . . .
In opus ves . . . cavet qua . . .
Nil ha . . . quam . . .
Tu er(is) . . .
Egen . . .
Qui . . .
. . . faenus mihi nullum duis
. . . illum . . .
Sed qui . . . postulo
Faeneraturum enim . . .
Quam ad . . . unum . . .

COLAX.

Edidit Maius tres huius fabulae fragmenta cum Frontone Epist. ad M. Caesarem 2, 9. (2, 6. p. 61. ed. Nieb.) atque hoc de fragm. Plaut. libello recudenda curavit: idcirco etiam nos repetiimus, ne quid omisisse censeremur.

Qui data ſide firmata ſidentem feſellerint

scaena inscribitur. Ceterum ex *Cacisti* personae nomine facile concludas fragmentum Plauti, quod vulgo ex *Cacisto* fabula feratur secundum Fulgentii auctoritatem v. *Oria*, *Cacisto* personae in Vidularia loquenti tribuendum esse, quum ex Vidular. fr. 20. vidulum a piscatore in mari deprehensum esse appareat, atque ad piscationem fragmentum a Fulgentio memoratum pertineat. Videntur verba hoc in fragmento contenta ad eam orationem referenda esse, quam Cacistus piscator de reperto vidulo habet. Exulabit igitur *Cacisti* fabulae nomen ex indice fabularum Plauti deperditarum.

Subdoli subsentatores, regi qui sunt proximi,
Qui aliter regi dictis dicunt, aliter in animo habent.

Denique Maius in codicis scripturae specimine iussit aeri insculpi Milit. 2, 2, 33 — 37., *unde notandum in codice v.* 35. arguat *recte legi, ut in plurimis MSS., versum autem* 37. *desiderari. Pertinet uterque versus,* 36. *et* 37. *ad duplicem fabulae recensionem, in qua posterior ita lectus fuisse videtur:*

Domi doli, domi delenifica facta, domi fallaciae.

INDEX

INDEX AUCTORUM.

CORRIGENDA ET ADDENDA.

Pag. 3 Lin. 17 Pro *Caeeilio* lege *Caecilio*.

— 4 Iis quae monuimus de verbi *φέρειν* usu adde, quae collegit Iacobsius in Wolfii Analect. Litt. fasc. 1. p. 102., qui idem Parrhasii exemplum attulit.

— 9 — 3 Pro *quum* l. *quam*.

— 11 — 8 — *Graeis* l. *Graecis*.

— 13 — 27 — *vulneratu' est* l. *vulneratu'st*.

— 16 — 26 — *coeptaem* l. *coeptae*.

— 30 Cum iis quae de hexametri heroi usu apud Latinos diximus et mox de Cypria Iliade nunc video consentire etiam Hermannum Elem. doct. metr. p. 333.

— 35 Versum Saturnium Livii ex Odyssea Festo citatum: *Partim errant* etc. eodem modo restituendum esse intellexit Hermannus l. l. p. 621. Versum Livii in eadem pag. a nobis mox appositum hexametrum: *Inferus an superus* etc. Hermannus l. l. p. 624. etiam pro Saturnio haberi posse credit. Stat suum cuique iudicium.

— 35 Versum Andronici ex Odyssea Hermannus l. l. p. 618., quum duo codd. Zwiccav. *super fuit*, duo bibl. Paulinae *super fugit* praeberent, tentavit ita:

> . . . . *mea puera,*
> *Mea puera, quid verbi ex tuo ore subterfugit.*

Nos tamen *profugit* tuemur, quia *subterfugit* pro Graeco exemplari nimis pingue videtur. Utrum *puer*, an *puera* legas, aut Aelii Stilonis, aut Varronis auctoritatem secutus, parum interest. Sed quid similius sit veri in aprico est.

Pag. 36 Ad Livii hexametros ex Mone desumptos cf. Herm. l. l. p. 354.

— 48 Lin. 15 Pro *videautur* l. *videatur.*

— 50 — 9 — 50 l. 72.

— 52 Quod ego in Prisciani loco *Sirene* legendum esse adsecutus sum, etiam Hermannus l. l. p. 619. adstipulantibus fere plurimis codd. eruit. Utrum autem Livio fabula *Siren* ex Hermanni sententia sit abiudicanda, nec ne, ea quae de Livii comoediis explanavimus, satis, credo, perdocent. Loco *Livii* in cod. Zwiccav. sec. *Lucretium* legi, nihil mirum propter frequentem horum nominum confusionem, cuius ipsi protulimus exemplum.

— 72 — 23 Pro *sillis* l. *Sillis.*

— 73 — 6 — ῇν l. ἦν.

— - — 26 — ᾖσαν l. ἦσαν.

— 74 — 21 — *Pythogoreis* l. *Pythagoreis.*

— - — 27 — *Phythagoreis* l. *Pythagoreis.*

— - — ult. — *probavi* l. *probavit.*

— 78 — 7 — *autecedentibus* l. *antecedentibus.*

— 80 — 24 — θεατρικῄ l. θεατρικὴ.

— 85 — 26 — εἰσβᾶσα l. εἰςβᾶσα.

— 88 — 17 *in* expungatur.

— 103 — 27 Pro *utrumque* l. *utramque.*

— 117 — 22 — *blandiloquenria* l. *blandiloquentia.*

— 118 — 14 — *videtur vestigium* l. *videtur, etsi vestigium.*

— 121 — 28 Post *ex* exciderunt *Euripidis versu.*

— 126 — 10 Pro *indicium* l. *iudicium.*

— 133 — penult Post *evenat* comma ponendum pro puncto.

— 137 — 2 Pro λογος l. λόγος.

— 141 — 8 Post *pervenerunt* comma excidit.

— 145 — 27 Pro *relictum* l. *relictam.*

— 146 — 23 — colo pone punctum.

— 149 — 18 — commate post *Pirckhuim* pone punctum.

— 163 — 13 — *poshac* l. *posthac.*

— 175 — 6 — *cogauntur* l. *cogantur.*

— 177 — 10 — *agatur tamen,* l. *agatur, tamen.*

— 179 — 8 — *totius prologo* l. *toto prologi.*

— 199 — 8 — *Priore inqui* l. *Priorem qui.*



